
HARVARDIANAE
ACADEMIAE
IN NOV ANG
SIGILLVM
VE
RI
TAS

QUAESTIONES
GRAMMATICAE ET CRITICAE
AD PAUSANIAM
SPECTANTES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM JENENSI


PROPOSUIT

EMMO SEEMANN

SILESIUS.

JENAE.

MDCCCLXXX.



Berolini. Typis expressit Gustavus Schade (Otto Francke).

Pausaniam e solis libris manu scriptis, cum lacunis, corruptionibus, interpolationibus maxime sint deformati, in integritatem pristinam restitui non posse, editores omnes professi sunt. Quam ob rem neque quantum studium a viris doctissimis ad lacunas arte critica explendas et corruptelas emendandas collatum sit, cuiquam mirum fuerit, neque quam saepe viri docti ardore scriptoris ex ingenio restituendi in errores inducti sint; non semel enim non tam ea, quae ab operis auctore scripta sunt, quam quae scribi potuerunt, mihi videntur restituisse. Quos in errores eo facilius ii incidere potuerunt, qui proprietates quasdam Periegetae sermonis parum intellegentes in locis iudicandis utrum sani essent an corrupti id non scriptoris ipsius indole sed iis legibus mensi sunt, ad quas scriptores florentis aetatis orationem formarunt.

Attamen si ullus scriptor ut sui ipse sit interpres atque corrector flagitat, flagitat Pausanias. Atqui multa generalia quidem de Periegetae dictione a viris doctissimis passim dicta sunt, quam salebrosa ea sit contortaque et a nativa simplicitate aliena, quin etiam quas formulas vel constructiones ex Herodoto deprompptas Pausanias in suam rem verterit, Pfundtner in

dissert. Regiom. 1866. optime statuit, sed quaestiones speciales de eius sermone, quae proprietates ei ipsi tribuendae sint, et quem ad finem exempla ex poëtis deprompserit, deprompta amplificaverit, quae dicendi consuetudines tanta aequabilitate atque constantia repetantur, ut quamvis omnia artis praecepta nonnumquam illudant, tamen agnoscendae et servandae sint et interpretationem poscant non emendationem: nondum satis multae institutae esse mihi videntur.

Siebelisius quidem in adnotationibus ad editionem maiorem non paucis locis magnam locorum similium copiam ad lectiones quasdam tuendas contulit et proprietates sermonis Pausaniae multas graviter pronunciavit, sed qui ex locis ab eo collatis quaestionem de Pausaniae sermone perfectam esse colligit vereor, ne in errore non minore versetur, quam qui legibus ab eo observatis temere assentiatur. Sic, ut exemplum unum afferam, Brausio (vid. Freiberger Schulprogramm 1852) assentiri non possum, qui, ut legem a Siebelisio de usu particularum *καί* — *τέ* observatam labefactaret, rem ab illo omnibus exemplis, quae apud Pausaniam reperirentur, confirmatam esse coniecit.

Quas quaestiones de Pausaniae sermone quamquam in omnes dicendi proprietates aequabiliter instituendas esse consentaneum est, ut indoles scriptoris vera exquiratur et firmum coniecturarum fundamentum iaciatur, quod non minus mihi ad integritatem Pausaniae restituendam necessarium videtur quam regionum descriptarum cognitio, quam Curtius ad locos quosdam

corrigendos poscit[1]) et caeremoniarum artiumque studia, in quibus Panofka spem salutis ponit[2]), tamen ultra proprietatum principalium duarum quaestionem atque earum, quae longe plurimas dederunt tanquam ansas disceptationum et coniecturarum, progredi nolui, sed in quaesito proprio particulae *τέ* et dativi usu me continui, quamquam ad sententiam meam tuendam uno loco me diutius morari necesse erat, in quo similitudinem quandam mendorum, quae neglegentia librariorum et inscitia orta sunt, exponerem. In recensendis vero his elocutionis proprietatibus eas leges, quae satis multis locis mihi videbantur confirmatae, adhibui, ut locos aut mea sententia ab aliis perperam iudicatos aut intactos ab editoribus relictos, ad illas formarem et corrigerem.

Ac primum quidem ad usum particulae *τέ* pertractandum accedam. Nonnunquam Pausaniam deprehendimus particulam *τέ* simpliciter positam usurpantem, ut copulet verba duo substantiva, a quo usu Atticorum scriptores prosaicos fere remotos esse constat. Sic legimus VII. 25. 9. *ναὸς ἐνταῦθα Δήμητρος, ὁ δὲ Ἀφροδίτης Διονύσου τέ ἐστι.* II. 23. 5. *λέγουσι γὰρ*

---

[1]) Curtius. Peloponn. I. 214. n. 23. „Die Stelle (Paus. VIII. 13. 6.) beweist recht deutlich, wie unmöglich es ist, ohne Kenntniss des Landes den Text des Pausanias festzustellen."

[2]) Antiquar. Briefe von Raumer pg. 122. „Den mythol. und archaeol. Commentar will Panofka liefern, und er glaubt, dass für die offenbaren als auch für die unerkannten Lücken und Textfälschungen die wahre nnd sichere Hilfe nur von gründlicher Religions- und Kunstforschung geboten werden kann."

Ἀργεῖοι Δηϊανείρας ἐν Ἄργει μνῆμα εἶναι τῆς Οἰνέως τό τε Ἑλένου τοῦ Πριάμου. III. 15. 8. *ἡρῷα .. Κάδμου τοῦ Ἀγήνορος, τῶν τε ἀπογόνων.* I. 38. 6. *ναός ... φρέαρ τε ..* X. 15. 1 ... *καὶ Ἀρτέμιδος, τὸ δὲ Ἀθηνᾶς, δύο τε Ἀπόλλωνος ἀγάλματα.* VII. 2. 2. *ἐκ δὲ τῆς Ἑλλάδος τρίτος δὴ οὗτος στόλος ὑπὸ βασιλεῦσιν ἀλλοίοις ὄχλοις τε ἀλλοίοις ἐστάλησαν,* ubi Siebelisius certe particulam *τέ* eliminandam et *ὄχλοις ἀλλοίοις* cum *ἐστάλησαν* coniungendum esse iudicat. Sed mihi non minus videtur constare haec duo substantiva particula *τέ* copulata e praepositione *ὑπό* pendere quam Pausaniam relationes duas dissimiles eadem praepositione connectere; nam *ὑπὸ βασιλεῦσιν ἀλλοίοις* ut IX. 37. 7. *ὑπὸ τούτοις ἡγεμόσι Μινύαι στρατεύουσιν ἐς Τροίαν* interpretabimur: ducibus exteris, sed *ὑπὸ ὄχλοις ἀλλοίοις*: comitante vel adiuvante multitudine extera, quae significatio sustinetur locis ut III. 17. 5. *ὑπὸ λύρας καὶ κιθάρας κρούσμασι.* IX. 12. 5 *μέλη ὑπ' αὐλοῖς ..* VII. 25. 10. *μαντεία δὲ ὑπὸ πίνακί τε καὶ ἀστραγάλοις ἐστιν.* Item alio loco iniuria critici Pausaniae usum poëticum quendam praepositionis *ὑπό* abrogaverunt. IX. 18. 1. enim, ubi legitur *αὐτῷ τὴν τελευτὴν ὑπὸ Ἀμφιαράῳ γενέσθαι λέγουσι,* cui loco similis est Homeri Il. 11. 262. *ὑπ' Ἀτρείδῃ πότμον ἀναπλήσαντες,* Clavierius, Siebelisius, Buttmannus genitivum pro dativo flagitabant, quamquam Pausanias item VIII. 19. 3. *ὑπὸ κυνὸς κατασχέτου λύσσῃ* loquitur.

Particula *τέ* inserta, quod iam Porsonus voluit, etiam locus qui legitur VIII. 51. 2. ex aliqua parte mihi videtur emendari posse; quae emendatio Porsoni

eo magis comprobanda est, quod codices omnes praeter levigatos viam plane monstrant.

In vulgata est: *ἐδίδοσαν οἶκον αὐτῷ τὸν Νάβιδος ἐς πλέον ἢ τάλαντα ἑκατόν· ὁ δὲ ὑπερεφρόνησέ τε τῶν χρημάτων καὶ ἐκέλευε* . . . Codices La Va Lb M R praebent *ὑπέρφρων ἔς τε,* Ag *ὑπέρφρονός τε,* unde apparet certe *ἔς τε* correcturam praecedentis vocis *ἐς πλέον* margini adscriptam loco sinistro esse insertam, Porsoni autem coniecturam *ἔς τε πλέον* codicibus ipsis confirmari; *ὑπερφρων* autem vel *ὑπερφρον* corruptum puto ex *ὑπερφρονῶν.*

Qua re locus mihi ita videtur refingendus: *ἐδίδοσαν οἶκον αὐτῷ τὸν Νάβιδος ἔς τε πλέον ἢ τάλαντα ἑκατόν· ὁ δὲ ὑπερφρονῶν τῶν χρημάτων καὶ ἐκέλευε* . . ., quae verba interpretabimur: domum Nabidis ei donaverunt et plus centum talenta; ille autem opes repudiavit atque etiam iussit . . Quo cum sensu consentit, quod legimus de hac re apud Plutarchum in Philop. 15. *τὴν Νάβιδος οἰκίαν καὶ οὐσίαν ἐξαργυρισθεῖσαν καὶ γενομένην εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ταλάντων ἐψηφίσαντο δωρεὰν αὐτῷ δοῦναι.* Iniuria autem Siebelisius offendit in vocabulo *οἶκος,* quod saepe apud Pausaniam idem valet quod *οἰκία* ut I. 1. 2. — II. 13. 7. — IV. 36. 2. VIII. 24. 2. et Schubartus Walzius in *ἐς πλέον,* quod etiam IX. 30. 12 ubi est *τιμῆς δὲ ἐκ τοῦ θείου καί ἐς πλέον ἐκείνων ἔχουσι* positum est pro simplici *πλέον,* ut aliis locis.

Hoc loco occasionem mihi praetermittendam non esse censeo illius librariorum rationis aliquot exemplis explicandae et illustrandae, qua ex verbis mutilis vel

margini adscriptis vel ex syllabis parum claris vel superscriptis integram lectionem restituere tentaverunt.

Ut enim loco modo tractato librarius verba *ἔς τε*, quae margini adscripta invenerat, loco alieno contextui inseruit, librarius autem posterior verba *ὑπερφρων ες τε* sensu carentia correxit in *ὑπερεφρόνησέ τε*, sic VIII. 7. 6. ceteri codices habent *οἱ τοῦ Πέρσου* sed cod. La *οἱ τοῦ περὶ τοῦ*, quod margini exemplaris *περὶ τοῦ* adscriptum erat, unde editiones recte eruerunt *οἱ περὶ τοῦ*. — Idem librariorum error latet VII. 8. 7, ubi codices hanc praebent lectionem: *Φίλιππος ἐν Κυνὸς καλουμέναις Κεφαλαῖς ἐν λόγοις τὸ ἧττον ἠνέγκατο*; quantam coniecturarum turbam hic locus congregaverit, vide a. l. praefat. ed. Schubart. Clavierius primus *ἐν λόγοις* corruptum esse ex *ἐν λόφοις* intellexit, quem Schubartus secutus est[1]). Sed uterque vir doctissimus locum nondum plane emaculavit; Schubartus enim praepositione *ἐν* omissa legi vult *ἐν Κυνὸς καλουμέναις Κεφαλαῖς λόφοις*; at unde fluxit *ἐν* in contextum? Certe mea sententia *λόφοις* scribarum neglegentia exciderat, tum cum vocabulo *ἐν*, post quod exciderat, copulatum et margini adscriptum, sed postea una cum eo in contextum loco alieno insertum est. Itaque locus ita scribendus est: *Φίλιππος ἐν λόφοις Κυνὸς καλουμέναις Κεφαλαῖς τὸ ἧττον ἠνέγκατο.*

Adde huc simile exemplum, quod cerni potest IX. 2. 3. ubi Schubartus dedit: *πέτρα· καλοῦσι δὲ τὴν μὲν Ἀκταίωνος κοίτην, ἐπὶ ταύτῃ καθεύδειν φασὶ τῇ πέτρᾳ*

---

1) cfr. Polyb. 18. 5. *οἱ λόφοι καλοῦνται μὲν Κυνὸς κεφαλαί.*

τὸν Ἀκταίωνα ... Sed Schubarti coniectura lectionem neque expeditam neque ad codicum vestigia satis aptatam mihi videtur restituere; asyndeton enim iam melius Bekker sustulerat, qui scripsit *κοίτην, ἐπὶ ταύτῃ* ... *φάμενοι.* Sed facile ex codicum vestigiis cognoscatur, librarium pro *κοίτην καί* scripsisse *καὶ τὴν καὶ* et correcturam *οι* vocabulo *καί* subscriptam, sed a librario posteriore contextui falso insertam (codd. enim habent *καὶ τὴν* ... *φασίν οἱ*) et alteram particulam *καί* tanquam ineptam omissam esse. Itaque locus expeditior erit, si scripserimus: *κοίτην, καὶ ἐπὶ ταύτῃ καθεύδειν φασὶ τῇ πέτρᾳ* ....

Neque aliter corruptela VIII. 52. 1. exorta est, quam editores nondum sanasse mihi videntur. Codices enim exhibent: *Μιλτιάδης — τούς τε ἐς Μαραθῶνα ἀποβάντας τῶν βαρβάρων κρατήσας μάχῃ καὶ τὸν πρὸς τὸν Μῆδον ἐπισχὼν στόλον* .... Hunc locum levi coniectura ad sensum tolerabilem redigi posse viri doctissimi probaverunt, cum Bekker ederet *καὶ τὸν πρῶτον τοῦ Μήδου* et Schub-Walzius *καὶ τὸν Μήδων* ... At codicum vestigia aliam monstrant viam, quam Pausanias ipse aliis locis ingressus est; et quia scriptor ipse iudex est optimus ad rem dubiam diiudicandam, quid locis similibus Pausanias scripserit, videamus.

Sic legimus III. 9. 12. *οἱ Θεσσαλοὶ — τοῦ πρόσω τὸν Ἀ. ἐπειρῶντο εἴργειν.* III. 25. 3 *τῆς ἐς τὸ πρόσω στρατείας — ἐπαύσαντο.* X. 19. 5. *τὸ πρόσω τῆς πορείας οὐκ ἀπεθάρσησαν.* VII. 15. 8. *τοῦ πρόσω σφᾶς κωλύειν.* et simillime V. 5. 7. *οἱ ἄνεμοι — ἐπέχουσι τοῦ πρόσω τὸ ὕδωρ.* VI. 5. 6. *ἄνδρα ἡνίοχον — ἐπέσχε*

τοῦ πρόσω. VIII. 54. 3. *ἔμελλε — μηδὲ Ἀδρίας ἐπισχήσειν αὐτὸν τοῦ πρόσω*.

Quibus e locis satis luculente apparet, quam saepe Pausanias sententiam similem similiter formaverit et *ἐπέχειν τοῦ πρόσω* usurpaverit, ut brachylogia quadam dicat illud pro: impedire, ne quis vel quid proficiat. Qua re locus quoque de quo agimus, sic reficiendus est: *καὶ τοῦ πρόσω τὸν Μήδων ἐπισχὼν στόλον*. Librarius autem ut IX. 2. 3. *και την και* sic hoc loco *τὸν πρόσω τὸν Μήδων* neglegentia sua scripsit, quam lectionem posterior scriba in *τὸν πρὸς τὸν Μῆδον* male correxit.

Pariter autem aliquot locis syllaba praecedens prima verbi sequentis syllaba vel sono vel forma simili intercepta et oppressa est, quam partem deinde decurtatam librarius suo arbitrio formavit. Sic VI. 22. 9, ubi Pausanias Alpheum amore Dianae captum ei vim afferre conatum esse narrat, in codd. ita pergitur: *καὶ αὐτὸν ἐς παννυχίδα ἐς Λετρίνους ἐλθεῖν ὑπὸ αὐτῆς τε ἀγομένην* (codd. *ον*) *τῆς Ἀρτέμιδος καὶ νυμφῶν, αἷς παίζων συνῆν ἀκολουθῶν* (*ἀκολ.* omittunt optimi codd.) *αὐτῇ* (*αὐτή* La). Sic Pausaniam non scripsisse nemo non videt, quia id minime in rerum continuationem quadrat. Quomodo enim fieri potuit, ut Alpheus nympharum lusibus iam interesset, cum Pausanias pergat: *τὸν Ἀλφειόν, ὡς ἐσῆλθε . .*, et cur dea sibi nymphisque ora luto oblevit, cum Alpheus, si iam adfuisset, eam antea a nymphis discernere potuisset? Qua re verba *αἷς παίζων συνῆν — αὐτῇ* cum Buttmanno et aliis corrupta esse puto, neque vero conatis

eorum loci emendandi assentior. Buttmannus enim *αἳ παίζουσαι συνῆσαν αὐτῇ* vel *αἳ παίζουσαι ἠκολούθουν αὐτῇ* coniecit, Dindorfius autem et Schubartus verbum *ἀκολουθῶν* solum expunxerunt, qua correctura sensus et constructio negleguntur, quia nihil est unde dativus *αἷς* vel *αὐτῇ* pendeat. Mihi quidem non minus verbum *ἀκολουθῶν* suspectum est, sed simpliciore mutatione quam quae Buttmanno placuit, veram puto lectionem restitui posse, si scribatur: *αἷς παίζουσα συνῆν αὐτή* (sc. *Ἄρτεμις*). Syllaba *σα* ante *συν* — scribae neglegentia exciderat, posterior autem scriba correxit *παίζου* in *παίζων*; participium vero *ἀκολουθῶν*, quod in paucis codd. nec iis optimis est, additamentum librarii cuiusdam est ad dativum *αὐτῇ* intellegendum.

Eandem librarii neglegentiam deprehendimus VIII. 15. 6, ubi codd. praebent: *Χαλκώδων, ὃν πρότερον ἔτι ἀπέκτεινεν Ἀμφιτρύων, καὶ μαρτυρεῖται καὶ πιστεύειν ἄξιά ἐστιν ἐν Θήβαις*. Cum nulla inter has sententias esset copulatio, Bekker in unam eas contraxit sic: *ἀποκτεῖναι Ἀμφιτρύωνα καί* . . . et Schub-Walzius, cum minus apte conicerent: *ἀποκτεῖναι Ἀμφιτρύων καὶ μαρτυρεῖται* . . . quae constructio verbi *μαρτυροῦμαι* cum infinitivo nescio num probari possit. Melius vero ad Pausaniae dictionem mea opinione sententia conformabitur, si particulam *γάρ* ante *μαρτυρεῖται* excidisse statuemus, ita ut sic legatur: *ὃν πρότερον ἔτι ἀπέκτεινεν Ἀμφιτρύων, καὶ γὰρ μαρτυρεῖται καὶ πιστεύειν ἄξιά ἐστιν, ἐν Θήβαις*. Quid enim tritius apud Pausaniam est quam parenthesis? cfr. locum simillimum I. 31. 3. *Ξούθου, καὶ γὰρ — ᾤκησε — καὶ*

ἐπολεμάρχησε, τάφος ἐν Ποταμοῖς . . — Neque minus perspicue mea sententia socordia librarii simulque correctura parum subtilis librarii posterioris expressa extat III. 11. 4. In codd. est: *τὸ δὲ ὄνομα εἶναι τούτῳ Αὔγουστος, ὃ κατὰ γλῶτταν δύναται τὴν Ἑλλήνων σεβαστός.* Editores alii aliter coniciunt. Schubartus codicum lectionum dedit, quamquam ipse coniecit: *τὸ δὲ ὄνομα τοῦτο Αὔγουστος κατὰ γλῶτταν* . . . vel totum locum tanquam glossema exstinguendum esse censuit. At minime; nam praeterquam quod Pausanias plus quam semel tales admiscet adnotationes, cfr. II. 4. 5. *Καπετωλίου φωνῇ τῇ Ῥωμαίων, κατὰ Ἑλλάδα δὲ γλῶσσαν Κορυφαῖος ὀνομάζοιτ' ἄν,* etiam ex loco simillimo veram opinor loci huius lectionem restitui posse. VI. 24. 6. enim legimus: *Ἀπόλλωνος Ἀκεσίου· σημαίνοι δ' ἂν τὸ ὄνομα οὐδέν τι ἀλλοῖον ἢ* . . . Similiter in archetypo illo loco puto fuisse: *τὸ δὲ ὄνομα σημαίνει τούτῳ Αὔγουστος, ὃ* . . Sive autem verbum *σημαίνει* in archetypo minus clarum fuit sive librarius prima syllaba neglecta *αίνει* scripsit, librarius posterior syllabas truncas *αίνει* in *εἶναι* videtur mutasse.

Denique tres commemorabo locos, quibus quam facile duo verba, scriba ab uno ad alterum aberrante, coaluerint, plane apparet; quos locos editores nondum sanavisse mihi videntur. I. 40. 5 enim Schubartus dedit: *ὁμολογοῦσι δὲ καὶ Ἀθηναῖοι χρόνον τινὰ Μεγαρεῦσιν ἀποστῆναι, Σόλωνα δὲ ὕστερόν φασιν ἐλεγεῖα ποιήσαντα προτρέψαι σφᾶς, καταστῆναι δὲ ἐπὶ τούτοις ἐς ἀμφισβήτησιν Ἀθηναῖοι, κρατήσαντες δὲ πολέμῳ Σαλαμῖνα αὖθις ἔχειν.* Codd. legunt *ἐς ἀμφισβητοῦσιν,*

exceptis levigatis, in quibus est *ἐς ἀμφισβήτησιν Ἀθηναίοις*. Lectio Schubartiana si vera sit, quid subiectum *Ἀθηναῖοι* repetitum sibi velit, neque intellego neque Pausaniam sic scripsisse concedo; at vero eum opinor aut pro substantivo pronomen *αὐτοί* posuisse aut, cum illud codices substitui vetent, verbum finitum, quocum *Ἀθηναῖοι* copularetur excidisse; cui rei codicum vestigia favent. Plenius igitur post *προτρέψαι σφᾶς* interpungentes et ex vocabulo *ἀμφισβητοῦσιν* duo quae coaluerunt dissolventes *ἀμφισβήτησιν λέγουσιν* sic locum restituemus: *Σόλωνα δὲ ὕστερόν φασιν — προτρέψαι σφᾶς· καταστῆναι δὲ ἐπὶ τούτοις ἐς ἀμφισβήτησιν λέγουσιν Ἀθηναῖοι* .. cfr. locos simillimos, in quibus subiectis mutatis Pausanias invicem *φασίν* et *λέγουσι* usurpat: I. 30. 3. — I. 49. 5. — V. 26. 3. — VIII. 53. 10. — X. 4. 1. Duorum verborum implicationem etiam locus X. 25. 2 docet, ubi Schubartus dedit: *Μενελάῳ δὲ τὰ ἐς τὴν ἀναγωγὴν εὐτρεπίζουσι, καὶ ναῦς τε γεγραμμένη, καὶ ἄνδρες ἐντὸς ναῦται καὶ ἀναμὶξ παῖδες;* sed in codd. optimis legimus *ἐν τοῖσι ναύταις* (*ἐν τοῖς* La Va), neque ego, si in archetypo erat *ἐντός*, quomodo codd. derivati ad lectionem *ἐν τοῖσι* pervenerint, intellegere possum, cum *ἐν τοῖς* facile correctura scribae peritioris ex *ἐν τοῖσι* possit perspici. Qua re quin in *ἐντοισι* duo lateant verba, quae coaluerint, non dubito, *ἐντος εισι*, quibus, cum inde dativus *ἐν τοῖσι* exortus esset, scriba *ναύταις* pro *ναῦται* accommodavit. Itaque sic legendum esse puto: *καὶ ναῦς τε γεγραμμένη καὶ ἄνδρες ἐντός εἰσι ναῦται* .. Copulam autem inter nomina duo arcte coniun-

genda interpositam esse apud Pausaniam frequentissimum est.

Neque aliter de tertio loco, X. 38. 8. quo primo quidem aspectu omnia plana videntur, iudicandum est. Editiones locum omnes sic exhibent: *ἀναλῶσαι τὰ κρέα αὐτόθι πρὶν ἢ ἥλιον ἐπισχεῖν νομίζουσι.* Quamquam vero Pausanias nusquam *ἥλιος ἐπέχει* usurpat, tamen quia saepe apud eum *ἡμέρα* vel *ἑσπέρα* vel *νὺξ ἐπέχει* legitur, editores in hoc loco non offenderunt; quin etiam Siebelisius lectionem defendit. At nonne eodem iure, quia Pausanias persaepe loquitur *ἥλιος ἀνίσχει* ut I. 42. 3. — IV. 18. 3. — VI. 24. 1. — VIII. 16. 1. — VIII. 38. 7. eum alicubi scribere potuisse *ἡμέρα, ἑσπέρα, νύξ ἀνίσχει* dici potest? Sed etsi hic nonnunquam ab absurdo quodam dicendi genere abhorret, tamen ad omnes ineptias eum putas audacem fuisse? Ego vero hoc loco *ἥλιον ἐπισχεῖν* vitio librariorum puto esse exortum et *ἥλιον ἔτι ἀνίσχειν* legendum, quam lectionem archetypi scriba confudit in *ετισχειν* et posterior correxit in *επισχειν*. Quae coniectura *ἥλιον ἔτι ἀνίσχειν* esse restituendum eo certior mihi videtur, quod loco simillimo X. 11. 5 Pausanias loquitur: *ἔθυσαν τράγον ἀνίσχοντι ἔτι τῷ ἡλίῳ.*

Haec quidem corruptelarum socordia librariorum atque neglegentia ortarum exempla mihi praemittenda esse putavi, quod menda plurium locorum mox tractandorum ad eundem fontem sunt revocanda; nunc vero ad quaestionem de usu particulae *τέ* redeamus.

Dixi supra Pausaniam *τέ* usurpare ad verba sub-

stantiva copulanda; frequentius idem hac particula coniungit enunciata ut I. 25. 5. — II. 21. 6. — III. 8. 5. — IV. 4. 1. — et permultis aliis locis. Neque aliter VII. 20. 4 puto scribendum esse, ubi alii aliter coniciunt. In codd. enim est: *πεποιημένα ἦν Ὁμήρῳ βοῦς Ἀπόλλωνα — νέμειν. Ποσειδῶνι περιέθηκεν ἐν Ἰλιάδι τὰ ἔπη* ... Particulam *τέ* ante *περιέθηκεν* excidisse opinor, quod quidem vitium librariorum facillime potest intelligi.

Ut vero copulationem *τέ — καί* leviter attingam, Pausanias, quod apud scriptores atticos raro, saepe apud Herodotum reperimus, numeralia per *τέ — καί* connectere solet, ita ut minus praemittat maiori, cfr. IV. 17. 10. *ἑνί τε καὶ δέκα*. III. 13. 9. *μία τε καὶ δέκα* IV. 23. 4. *τῆς ὀγδόης τε καὶ εἰκοστῆς*, duobus locis exceptis, IX. 30. 8 et I. 18. 9. *ἑβδομήκοντα πέντε — ἑκατὸν εἴκοσι*, quos locos Schubartum recte mutasse puto in *πέντε ἑβδομήκοντα — ἑκατόν εἰσι*.

Si autem duo nomina e praepositione pendentia per *τέ — καί* copulanda sunt, Pausanias quattuor sequitur rationes: praepositio aut semel ponitur, particula *τέ* vel priori nomini et praepositioni interposita, ut II. 10. 5. *ἔκ τε χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος* cfr. VIII. 46. 4. IX. 1. 1. etc., vel priori nomini postposita ut VIII. 25. 13. *ἐν Ἴστρῳ τε καὶ Ἠριδανῷ* VIII. 45. 5 *περὶ Ἰωνίαν τε καὶ Καρίαν* cfr. IX. 29. 4. — 33. 6. — 39. 7. — X. 17. 2. etc., aut praepositio bis ponitur vel eadem vel priori similis et particula *τέ* aut praepositioni postponitur ut II. 13. 1. *ἔκ τε Ἄργους καὶ ἐκ Σικυωνίας*, I. 13. 1. *ἔς τε Ἀσίαν καὶ πρὸς Ἀντίγο-*

νον, VIII. 51. 8. *ἔκ τε Ἀρκαδίας καὶ παρὰ Ἀχαιῶν* etc. aut nomini postposita est ut IX. 6. 4. *περὶ Κόρινθόν τε καὶ ἐν Κορωνείᾳ*, X. 12. 5. *ἐς Δῆλόν τε καὶ ἐς Δελφούς*.

Hac occasione oblata locus mihi praetermittendus non est, ubi editores in lectione restituenda copulationem duorum substantivorum per *τέ — καί* parum respexerunt. X. 21. 3 enim codices habent: *οἱ δὲ ἐν ὀργῇ τε ἐπὶ τοὺς ἐναντίους καὶ θυμοῦ μετὰ οὐδενὸς λογισμοῦ καθάπερ τὰ θηρία ἐχώρουν*; quod genitivus *θυμοῦ* sensu caret, Kuhnius coniecit *θυμῷ*, quod per *τέ — καί* cum *ἐν ὀργῇ* coniungeretur; quam coniecturam ceteri editores receperunt. At nonne sic sermo claudicat, quia *μετὰ οὐδενὸς λογισμοῦ* omni caret copulatione? Qua re aut *καὶ* inserendum est aut, quod equidem suspicor, *θυμοῦ* truncatum est, cum exitus *μενοι* ante *μετά* librarii errore, cuius exempla supra compluria contuli, excideret, ita ut legendum sit *θυμούμενοι μετὰ οὐδενὸς λ..* et *ἐν ὀργῇ τε.* cum *καὶ — μετὰ οὐδ. λ.* coniungendum. De contorta autem verborum collocatione infra copiosius loquar.

Proximum est ut de duorum membrorum copulatione per *τέ — δέ* disputemus, quae a Pausania saepius, quam editores agnoverunt, usurpata est. Sic, ut loci editoribus probati praemittantur, legitur VII. 10. 2. *Ξέρξῃ δὲ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐλαύνοντι Θεσσαλία τε δι' Ἀλευαδῶν προεδόθη, Θῆβας δέ — προδιδόασιν.* — X. 26. 3. *καὶ Ὀδυσσεύς τέ ἐστιν ἐνδεδυκὼς θώρακα, Αἴας δέ — βωμῷ προσέστηκεν.* X. 20. 5. *τριήρεις τε αἱ πλώιμοι πᾶσαι, πεντακόσιοι δέ . . .* Huc accedunt

loci, ubi *τέ — δὲ καί* se excipiunt ut VI. 6. 7. *Ὀδυσσέα — κατενεχθῆναί φασι ἔς τε ἄλλας τῶν — πόλεων, ἀφικέσθαι δὲ καί ἐς Τεμέσαν.* VI. 26. 2. *Ἠλείων τε οἱ δοκιμώτατοι ἄνδρες, σὺν αὐτοῖς δὲ καὶ ξένοι . .* X. 28. 6. *Ἀθηναῖοί τε δῆλα ἐποίησαν — ἐδήλωσε δὲ καὶ ὁ Μῆδος . .* Hic locis Pausanias nulla re coactus constructionem variavit et eas partes, quas non minus apte tanquam aequales per *τέ — καί* potuit componere, per *τέ — δέ* sibi opposuit.

Non pauci autem extant loci, in quibus Pausanias membrum aliquod parenthesi interiecta cum altero per *τέ — δέ* connectit, ita ut nonnullis locis particula *δέ* magis particula *μέν,* quae in parenthesi posita est, quam praecedenti *τέ* videatur respondere. Sic videmus V. 14. 7. *Διός τε Ἑρκείου* — parenthesi interiecta — per *τῷ δὲ Κεραυνίῳ Διί . .* constructione per anacoluthiam mutata exceptum; item VI. 3. 12 *ἄλλαι τε — ἐγένοντο — ἀνάστατοι, κατέλαβε δέ . . .* Qua re Schubartum probare non possum, qui X. 10. 5, ubi codd. praeter La. habent *ἀπαντικρὺ δὲ αὐτῶν ἀνδριάντες τέ εἰσιν ἄλλοι· τούτους δὲ ἀνέθεσαν οἱ Ἀργεῖοι — μετασχόντες· ἡρώων δέ εἰσιν αἱ εἰκόνες,* particulam *τέ* post *ἀνδριάντες* tanquam ineptam delet, quamvis *τέ — δέ* longiore interiecta parenthesi sibi respondere appareat. Neque minus iniuria Siebelisius et S W offenderunt in loco X. 33. 9 ubi legitur: *ταύτην τὴν Ἀμφίκλειαν ἐλυμήναντο οἵ τε ἐπιχώριοι τῷ ὀνόματι, καὶ Ἡρόδοτος μὲν Ἀμφίκαιαν ἐκάλεσεν — Ἀμφικτύονες δέ — ὄνομα ἔθεντο αὐτῇ Ἀμφίκλειαν.* Siebelisius enim suspicatur verba *καὶ Ἀμφικτύονες* ante *Ἡρόδοτος* excidisse, S W

autem particulam *τέ* uncis saepiunt[1]). Ego vero nihil mutandum esse puto; nam Pausanias partitionem quidem per *οἵ τε* . . inchoat, nec vero statim pergit, ut potuit per *καὶ Ἀμφικτύονες,* sed prius per parenthesin *καὶ Ἡρόδοτος μέν* . . confirmationem sententiae suae admiscet, quam alteram partitionis partem *Ἀμφικτύονες δέ* non minus priori membro *οἵ τε* quam parenthesi ipsi opponit. Similis autem anacoluthia occurrit nobis in loco VIII. 36. 2, de quo infra disputabimus.

Neque aliter iudicandum esse mihi videtur de loco ab aliis aliter tentato I. 24. 7; codd. habent: *καὶ οἱ κατὰ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης ἐλέφαντός ἐστιν ἐμπεποιημένη, καὶ Νίκη τε ὅσον τεσσάρων πηχῶν· ἐν δὲ τῇ χειρὶ δόρυ ἔχει* . . .

Qua in Minervae simulacri descriptione viri doctissimi iure offendunt, quod, ubi caput Medusae, hasta, scutum, draco posita fuerint, indicetur, ubi Victoria non item. Sed lectionem mancam, cuius emendationes varias Schubartus in praef. ed. rec. contulit, facillime resarciemus, si verba *καὶ Νίκη τε* ad sequentia *ἐν δὲ τῇ* . . *ἔχει* pertinere statuemus, ita ut corrigendum sit *καὶ Νίκην τε* et particulae *τέ* — *δέ* se excipiant, quam coniecturam S W iam commendaverunt. In sequentibus autem verbis, qua de re viri doct. consentiunt, deest aut *ἑτέρᾳ* aut *τῇ ἑτέρᾳ;* quam ob rem, ut locum ad Pausaniae dictionem adaptem, sic restituendum esse puto: *καὶ Νίκην τε ὅσον τεσσάρων πηχῶν, ἐν δὲ τῇ*

---

[1]) Schubartus in ed. rec. sententiam suam uncis omissis retractavit.

χειρὶ τῇ ἑτέρᾳ δόρυ ἔχει. Eodem enim fere modo loquitur Pausanias V. 17. 8. *Βάτων δέ — τάς τε ἡνίας τῶν ἵππων καὶ τῇ χειρὶ ἔχει τῇ ἑτερᾳ λόγχην.* VI. 25. 4. *τῇ χειρὶ δὲ ἔχει τῇ ἑτέρᾳ τὸ κέρας.*

Minime vero mihi lectio quam dedit Schubartus in ed. rec. placet a Jahnio[1]) recepta: *καὶ Νίκην ὅσον τε τεσσάρων;* Schubartus enim Pausaniam putavit hic ut aliis locis *ὅσον τε* scripsisse et particulam *τέ* a librariis loco alieno insertam esse. At minime; multis quidem locis Pausaniam more Herodoti *ἐπεὶ τε* ut I. 2. 2. — 20. 3. — 22. 3. et *ὅσον τε* ut III. 4. 1. — 22. 9. — VI. 22. 1. — VII. 16. 2 et saepius usurpasse constat, quamquam non raro idem *ὅσον* sine particula *τέ* ut IV. 22. 5. — V. 22. 1.; sed quotiescunque litterae *τε* . . ipsae principium nominis numeralis sequentis efficiunt, toties Pausanias non *ὅσον τε* sed *ὅσον* solum usurpavit, ut absonam quandam syllabarum concursionem evitaret. Quam consuetudinem omnibus locis codices consentientes confirmant. Hi sunt loci, qui extant: I. 36. 2. *ὅσον τετρακοσίους.* III. 25. 9. *ὅσον τεσσαράκοντα.* VII. 15. 8. *ὅσον τετρακισχιλίους.* VIII. 21. 4. *ὅσον τέσσαρα.* IX. 4. 4. *ὅσον τεσσαράκοντα.* IX. 32. 9. *ὅσον τετρακισχιλίους;* an casu hoc putas factum esse? Neque ab hoc usu Pausanias recesserit loco qui legitur VII. 18. 1 sic in codd.: *σταδίους τε ὅσον τεσσαράκοντα προελθόντι,* quem recte Facius mutat, si mutandus est, in *σταδίους δὲ ὅσον τεσσ.,* sed perperam Schubartus in *σταδίους ὅσον τε τεσσ. . .*

---

[1]) Pausaniae descriptio arcis Athenarum.

Satis dictum esse arbitror de locis, in quibus *τέ* statim altera particula excipitur, nunc eos explicabo, in quibus particula *τέ*, quia primo quidem obtutu solivaga et inepte posita videtur, ab editoribus in suspicionem vocata aut uncis saepta aut deleta est. Sed accuratius nobis in rem inquirentibus non tam lectio corrupta quam dictio illa quidem insolita sed Pausaniae propria erit putanda. Haec dictio autem insolita causam repetit ex usu frequentissimo anocoluthi[1]), quod Pausanias saepe minus aucupio structurae impeditioris usurpat quam cupiditate perductus loco, de quo forte agit, omnia quae ad rem plane exponendam et describendam spectant, uno tenore adnectendi, ita ut parenthesibus et parergis interiectis et initio descriptionis neglecto oratio videatur tanquam praecisa esse. At ut res fiat dilucidior, exempla quae potui reperire, conferam.

I. 40. 2 legitur: *καὶ ἄγαλμά τε κεῖται χαλκοῦν Ἀρτέμιδος ἐπίκλησιν Σωτείρας· φασὶ δὲ ἄνδρας . . .* Dindorfius in particula *τέ*, cum altera non excipiatur, offendit; Brausius locum pro corrupto habet; Siebelisius (vid. adnot. ad l. I. 24. 7.) *τέ* cum praecedenti *καί* coniungit, qua de copulatione *καί — τέ*, utrum apud Pausaniam concedi possit necne, infra disseremus. At hoc loco res aliter se habet. Pausanias enim in rebus, quas memoria dignas in aede invenit, describendis imagines imperatorum Romanorum recenset, tum

---

[1]) Accuratius de anacoluthis a Pausania usurpatis disputavit Storchius, diss. Vrat. 1869.

signum Dianae Sospitae aëneum et quia etiam alia simulacra est commemoraturus, scribit *ἄγαλμά τε*. Sed vix deae cognomen dixerat, cum subito orationem incidit, ut digressione longiore, cur Megarenses deae simulacrum dedicassent, exponeret; et demum § 3 verbis *ἐνταῦθα καὶ τῶν δώδεκα ὀνομαζομένων θεῶν ἐστιν ἀγάλματα* ad orationis principium revertit. Quamobrem nec locum corruptum nec *τέ* delendum esse iudico.

Idem cadit in locum IX. 24. 1. ubi in vulgata legitur: *ἐς δὲ τὴν λίμνην ὅ τε ποταμὸς ὁ Κηφισὸς ἐκδίδωσιν ἀρχόμενος ἐκ Λιλαίας τῆς Φωκέων καὶ διαπλεύσαντι ἐς Κώπας· κεῖνται δὲ αἱ Κῶπαι πόλισμα ἐπὶ τῇ λίμνῃ.* Facius cum nihil videret quod antecedenti *ὅ τε ποταμός* responderet, coniecit *καὶ διαπλεύσαντί εἰσι Κῶπαι;* quam coniecturam S W. receperunt. At si ita Pausanias scripsit, ieiunitas dictionis et insulsitas non satis potest vituperari. Quam languide enim fluat oratio iteratione hac inepta: „et Cephisus influit in lacum et Copae e regione fluminis oris sitae sunt; Copae autem ad lacum sitae sunt“, nemo non videt. Sed lectionem vulgatam puto tenendam esse, quam Siebelisius recte interpretatur: influit in lacum Cephisus amnis et quidem eo loco, ubi traiciunt Copas, i. e. e regione Coparum. *Καί* enim compluribus locis apud Pausaniam idem valet quod *καί — γέ* vel *καὶ ταῦτα;* cfr. IV. 5. 7, IV. 21. 8, IV. 25. 1, VIII. 21. 2, VIII. 44. 5. Quod vero particulam copulativam particulae *τέ* respondentem desideramus, cum sequens *δέ* cum *τέ* coniungendum non sit, certe Pausanias hoc loco sicut loco I. 40. 2. modo tractato copia rerum describendarum

a certo sententiarum ordine avocatus et in Copis ceterisque oppidis vicinis depingendis moratus priorem enunciationis partem *ὅ τε ποταμός* . . plane neglegit et ad urbis Thebarum descriptionem, unde profectus est, redit neque prius lacus Copaidis iterum facit mentionem, quam circulo quodam urbium describendarum confecto proximam urbem ad lacum adiacentem Orchomenum commemorat, IX. 38. 6, ubi fontes Melanis sunt fluvii, qui et ipse influit in Cephisidem; et sibi conscius de Cephiso se iam locutum esse Pausanias pergit: *καὶ ὁ Μέλας ἐς λίμνην καὶ οὗτος τὴν Κηφισίδα ἐκδίδωσιν*, quae verba *καὶ οὗτος* sensu carerent, nisi ad illud *ὅ τε ποταμός ὁ Κηφισὸς ἐκδίδωσιν* spectarent, praesertim cum Pausanias statim de Cephiso flumine iterum agat idque addat, quod iam priore loco IX. 24. 1. addere potuit.

Neque aliter res se habet, si locus est integer, VIII. 12. 7. *τῆς Πτόλεως δὲ μετὰ σταδίους τριάκοντα κώμης τε ἐρείπια καλουμένης Μαιρᾶς, εἰ δή* . . . Cum nihil particulae *τέ* respondeat, Siebelisius et S W eam delent, quam Schubartus in rec. ed. restituit. Hoc quoque loco particula *τέ* ex anacoluthia quadam orta putanda est, cum Pausanias structura mutata non pergat *καὶ ἐνταῦθα λέγουσι Μαιρὰν ταφῆναι* sed hanc sententiam his verbis adnectat: *εἰ δὴ ἐνταῦθα* — *ἐτάφη*. Sed quamquam talis anacoluthia non plane a Pausaniae dictione aliena est, tamen non minus apte locum lacunosum esse putes; facile enim verba nonnulla veluti *καὶ ὁ τάφος τῆς Μαιρᾶς* a librario post *Μαιρᾶς* possunt omissa esse, etiam facilius vero particula *τέ*

corrupta esse potest ex *ἔτι* (*τί*), quod *ἔτι ἐρείπια* vel *ἐρείπια ἔτι* sexcenties apud Pausaniam legitur cfr.: VIII. 12. 7. — IX. 2. 1, 11. 1, 19. 7 etc.

Alio loco VIII. 36. 2 ubi legitur *ἔστι δὲ ἐν Μεθυδρίῳ Ποσειδῶνός τε Ἱππίου ναός· οὗτος μὲν ἐπὶ τῷ Μυλάοντί ἐστι· τὸ δὲ ὄρος τὸ Θαυμάσιον* equidem non cum Siebelisio et S W. propter particulam *τέ* lacunam suspicor, sed dictionem aeque tortuosam atque aliis locis existimo. Verba enim sequentia *οὗτος μέν* etc. cum arctius cum praecedentibus cohaerent, quam ut verba quaedam intercedentia desiderentur, tum verba § 3 *ἔστι δὲ πρὸς τῇ κορυφῇ τοῦ ὄρους σπήλαιον τῆς Ῥέας* hoc loco inepta essent, si spelunca Rheae supra commemorata esset. Sed Pausanias ex parenthesi ipsa ad alteram partitionis partem transit, quam non per: *καὶ ἐν τῷ ὄρει τῷ Θαυμασίῳ σπήλαιον τῆς Ῥέας*, ut debuit, adnectit, sed per *δέ* ordine sententiarum mutato parenthesi immiscet.

Cui loco simillimus est alter X. 7. 5. *καὶ αὐλῳδίαν τε κατέλυσαν, καταγνόντες οὐκ εἶναι τὸ ἄκουσμα εὔφημον· ἡ γὰρ αὐλῳδία* . . . Dindorfius *τέ* mutat in *τότε*, cum nihil particulam *τέ* excipere videatur. At si ullus locus, certe hic in Pausaniae consuetudinem et proprietatem cadit. Pausanias enim cum hoc membrum enumerationis *αὐλῳδίαν τε* scriberet, iam alterum in animo habuit, neque vero statim adnexuit vel opposuit, sed antea latius et fusius cur auloedorum ars ad ludos amplius non admissa esset disseruit; post digressionem autem § 6. priorem partem orationis his verbis resumpsit: *κατὰ τοῦτο μὲν τῆς αὐλῳδίας ἐπαύθη*

τὸ ἀγώνισμα, ita ut verba sequentia *προσέθεσαν δὲ καὶ ἵππων δρόμον* non minus verbis *αὐλῳδίαν τε* quam *τοῦτο μέν* . . . respondeant, quae anacoluthia satis multis exemplis mihi videtur confirmata esse.

Restat ut tres locos leviter attingam, in quibus particula *τέ*, quod neque anacoluthia quadam orta est neque particula sequenti excipitur, tanquam solivaga nonnullis editoribus suspecta fuit. Primus locus IX. 22. 2. *τῆς τε ἀνδράχνου τὸ ὑπόλοιπον· τραφῆναι δέ* .. a Siebelisio et S W. iure lacunosus putatur; in altero, qui legitur IX. 31. 5 *ὁπόσα τε ἐπελεξάμεθα καὶ ἡμεῖς, καὶ ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν* S W particulam *τέ* tanquam correcturam vocabulo *πέρασιν* pro *τέρασιν* margini adscriptam deleri volunt; quod quidem concedi potest; sed nescio an hoc loco brachylogia quadam *τέ* cum sequenti *καί* coniungendum sit, ita ut locus sic interpretandus sit: et extant de divinatione carmina, quae aeque legimus atque ostentorum enarrationes, quae et ipsae extant. Tertio autem loco III. 4. 2 *τῆς καλουμένης Ὀργάδος θεῶν τε τῶν ἐν Ἐλευσῖνι ἱερᾶς* Schubartus iniuria particulam *τέ* deleri vult, cum hoc loco participium et adiectivum *καλουμένης* — *ἱερᾶς* per *τέ* copulentur ut multis aliis locis per *καί* cfr. VIII. 11.9. *Θηβαίους δὲ Ἐπαμεινώνδας ἀθύμους — καὶ — εἰωθότας ἀπέφηνεν*. IX. 30. 2. *Θάμυριν — τυφλὸν καὶ λύρας — ἐφαπτόμενον*.

Age nunc ad alium atque eum maxime conspicuum particulae *τέ* usum tractandum veniamus, de quo a viris doct. passim sed diverse iudicatum est. Non paucis enim locis a Pausania particulae *καί* — *τέ*

vocabulis interpositis ita videntur usurpatae esse, ut aut ipsa particula altera abundet aut alteram reddat abundantem. Quem usum, cum apud reliquos orationis prosae scriptores non ita frequenter reperiatur, virorum doct. alii plane a Pausaniae dictione alienum putant, ut Brausius, sed Siebelisius omnibus locis, uno excepto de quo infra disseremus, copulationem *καί* — *τέ* significantem: etiamque defendit, quin etiam rem ita urget, ut has particulas consociandas putet, ubi particula *τέ* excipitur sequenti *καί* ut I. 35. 2, aut per *δέ* ut I. 24. 7. aut anacoluthia exorta est ut I. 40. 2. Posteriores autem editores aliique viri doct. alios locos aliter tractantes aut particulam *καί* aut *τέ* in suspicionem vocant et duo (II. 36. 2 et VIII. 39. 2.) omnino extant loci, quibus neminem offensum esse mihi permirum videtur.

Sed persequamur singulos locos, unde quid de illo usu iudicandum sit cognoscatur.

VII. 3. 1. legitur *Θερσάνδρου δὲ τοῦ Πολυνείκους καὶ Ἀργείων ἑλόντων Θήβας καὶ ἄλλοι τε αἰχμάλωτοι καὶ ἡ Μαντὼ τῷ Ἀπόλλωνι ἐκομίσθησαν ἐς Δελφούς . .* VII. 21. 1. *ὅτε δὲ ᾠκεῖτο ἔτι Καλυδών, καὶ ἄλλοι τε Καλυδωνίων ἐγένοντο ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ δὴ καὶ Κόρεσος . .* VII. 23. 7. *ἀφίκετο ἀνήρ μοι Σιδόνιος, ὃς ἐγνωκέναι τὰ ἐς τὸ θεῖον ἔφασκε Φοίνικας καὶ τά τε ἄλλα Ἑλλήνων βέλτιον, καὶ δὴ καὶ Ἀσκληπιῷ πατέρα . . . .* His tribus locis[1]) ubi particula *τέ* nequaquam cum

[1]) Etiam quarto loco IX. 15. 6 nescio an copulatio *καὶ* — *ἄλλα τε* statuenda sit; legitur enim: *τῷ δὲ ἀνδριάντι — καὶ ἐλεγεῖα ἔπεστιν ἄλλα τε — καί . .*

praecedenti sed cum sequenti *καί* coniungenda est, usus et significatio particulae *καὶ* ante *ἄλλοι* vel *ἄλλα* positae, quocum verbo *καί* arcte cohaeret, consentire putanda sunt. Editores quidem priorem particulam *καί* aut delent (Bekker et Schubartus ubique, SW 21. 1 et 23. 7. Siebel. — 3. 1.) aut tenent, ego vero in eo usu insolitam quandam dictionem sed Pausaniae propriam agnosci quam particulam *καί* e contextu removeri malim; sed utrum copulatio *καὶ ἄλλοι* nihil nisi gradatio dictionis vulgaris sit an omissione quadam membri prioris, quod scriptor addere potuerit sed reticuerit, orta sit, in medio relinquo; utut vero res se habet, hunc pleonasmum compluribus exemplis sustentatum tollere dubito eo magis, quod locus simillimus apud Aelium Aristidem *Εἰς Ποσειδῶνα* § 18 ed. Dindorf. mihi occurrit, ubi legitur *καὶ ἵλεῳ τῇ γνώμῃ καὶ τἄλλα τε ἀγαθὰ διδόναι καὶ εἰπεῖν τι οἷον χρή*, et alter apud Xenophontem Cyrop. V. 5. 33. *ἐγὼ δὲ δοκῶ — καὶ τοῖς τε ἄλλοις ἀνθρώποις καὶ τοῖς δε τοῖς ἐμοῖς ὑπηκόοις· σὺ μὲν* . . . quem locum Poppo defendit ad Thucyd. I. cp. 9. Si igitur copulatio *καὶ ἄλλοι τε — καί* refutari non potest, — nec dubito, quin plura exempla apud alios scriptores extent — etiam alius locus apud Pausaniam ex analogia locorum tractorum nesio an corrigi possit. Legitur enim VIII. 21. 3. *Λύκιος δὲ Ὠλὴν ἀρχαιότερος τὴν ἡλικίαν Δηλίοις ὕμνους καὶ ἄλλους ποιήσας καὶ ἐς Εἰλυθυίαν τε, εὔλινόν τε αὐτὴν ἀνακαλεῖ* . . Porsone praecedente particula *τέ* post *Εἰλυθυίαν* posita omnibus editoribus suspecta fuit, etiam Siebelisio, qui omnibus aliis locis copulationem

καί — τέ defendit. Ipse quoque quomodo *τέ* hoc loco ferri possit, non intellego, nec vero particulam statim delere audeo. Quam ob rem etiam hoc loco pleonasmum *καὶ ἄλλοι τε καί,* de quo supra diximus, restituendum puto et legendum esse: *ὕμνους καὶ ἄλλους τε ποιήσας καὶ ἐς Εἰλυθυίαν.*

Expositis igitur iis locis, in quibus particulis *καί — τέ* respondet sequens *καί*, nunc dicam de iis, ubi copulationi *καί — τέ* altera particula non est opposita. Quo de usu multum a viris doct. disceptatum est; non minus utrum apud scriptores Atticos extaret necne, quam quae copulationis esset significatio; vide Sauppii epistol. crit. ad G. Hermannum pg. 81—87.

Sauppius enim, quem editores recentiores ut Krueger et Classenius in commentariis ad Thucydidem laudant, sententiam repellit Schaeferi ad Dionys. Hal. de comp. verb. p. 191, qui particulas *καί — τέ* abundanter positas esse existimat, et Handii, (cfr. de partic. *τέ* I. pg. 18.) qui *καί — τέ* „atque ita" significare putat, et Reisigii, (cfr. coniectan. pg. 213.), Matthiae (gr. gr. ed. III. p. 1504), Boeckhii (corp. inscr. praef. XXII.) aliorumque virorum doct., qui ad explicationem „etiamque" confugiunt, cum vir doct. ipse iis locis, ubi particulae *καί — τέ* altera particula non exceptae in codd. leguntur, particulam *τέ* aut delendam aut mutandam esse putet. Ipsi quoque Krueger gr. gr. I. 69. 32. a. 11[1]) et Kuehner

---

[1]) Krueger a. l. sententiam nequaquam distincte aperit, cum dicit: *καί — τέ* gebrauchen die Attiker in der Regel nicht anders als so, dass dem *τέ* ein folgendes *καί* (oder *τέ*) entspricht.

gr. gr. 522. 4. a. 2. usum copulationis *καί — τέ* apud scriptores Atticos negant, et revera ubi apud Aristophanem, Thucydidem, Xenophontem olim *καί — τέ* legebatur, ab editoribus recentioribus particula *τέ* aut deleta aut mutata aut cum aliqua particula sequenti copulanda explicata est. Quod quo iure factum sit, hoc loco accuratius examinare longum est; sed mihi num Pausaniae copulatio *καί — τέ*, quam Siebelisius in adn. ad I. 24. 7. exemplis dissolute collatis defendit, sit concedenda, quaerendum est. Atque non paucos locos, ubi particula *τέ* proprie sed suo iure a Pausania posita est, supra explicavisse mihi videor, nunc videamus, quid de reliquis ab editoribus non impugnatis iudicandum sit.

Primus locus est II. 36. 2. *ἱερὰ δὲ καὶ ἐς τόδε ἐπὶ ἄκρων τῶν ὀρῶν, ἐπὶ μὲν τῷ Κοκκυγίῳ Διός, ἐν δὲ τῷ Πρωνί ἐστιν Ἥρας. καὶ τοῦ τε Κοκκυγίου πρὸς τοῖς πέρασι ναός ἐστι, θύραι δὲ οὐκ ἐφεστήκασιν — εἶναι δὲ ἐλέγετο ὁ ναὸς Ἀπόλλωνος.* Duobus igitur templis, quae in summis montibus extant, commemoratis Pausanias tertium addit, quod in ima alterius parte est, ita ut summus mons et imus sibi sint oppositi. Quam ob rem cum particula *τέ* ad alteram sequentem non pertineat, hoc loco, etiam si copulatio *καί — τέ* a Pausaniae dictione aliena non esset, tamen certe aptius *καί — δέ* pro *καί — τέ* scribendum esse putarem.

Neque minus inepte posita mihi videtur copulatio *καί — τέ* altero loco VIII. 51. 3., quem nemo nisi Schmittius (Philologus XI. pg. 478) impugnavit. Legitur enim: *τριακοσίους μὲν τῆς στάσεως μάλιστα αἰτίους*

ἐξέβαλεν ἐκ Πελοποννήσου καὶ τῶν Εἱλώτων τε ἀπέδοτο ὅσον τρισχιλίους, τείχη δὲ περιεῖλε τῆς Σπάρτης, καὶ τοῖς ἐφήβοις προεῖπε .. Cum *τείχη δέ* oppositum sit verbis *τριακοσίους μέν*, particula *τέ* non habet quo referatur; sed si copulationem *καί* — *τέ* per: „etiamque“ interpretari velis, vide ne sensus loci neglegatur, quia Philopoemen trecentos illos seditionis auctores non vendidit sed eiecit. Itaque cum particula *τέ* suum locum non teneat, aut cum Schmittio scribendum est *καὶ τῶν Εἱλ. ἀπέδοτο ὅσον τε τρισχ.* aut, quod ego malim, librariorum errore verba *τείχη* — *Σπάρτης* post verba *καὶ τῶν Εἱλ ..* — *τρισχ*, posita sunt, ita ut sic restituendum sit: *τριακοσίους μέν — ἐξέβαλεν ἐκ Πελοποννήσου, τείχη δὲ περιεῖλε τῆς Σπάρτης, καὶ τῶν Εἱλώτων τε ἀπέδοτο ὅσον τρισχ. καὶ τοῖς ἐφήβοις προεῖπε ...*

Restat tertius locus, in quo num copulatio *καί* — *τέ* melius quam in prioribus usurpata sit, equidem dubito. Editiones enim VIII. 39. 2 praebent: *τὰ δὲ ἐς τὸν Λυκάονος Φίγαλον, οὗτος γάρ — καὶ ὡς μετέβαλεν ἀνὰ χρόνον ἀπὸ Φιάλου Βουκολίωνος τὸ ὄνομα ἡ πόλις καὶ αὖθίς τε ἀνεσώσατο τὸ ἀρχαῖον, τόδε μέν καὶ πρότερον ἐσήμαινεν ἡμῖν ὁ λόγος.* Si Pausanias scripsisset *μετέβαλεν — τὸ ὄνομα ἡ πόλις καὶ αὖθίς τε μετέβαλεν ἐς τὸ ἀρχαῖον*, copulatio *καί* — *τέ* significans „etiamque“ tolerari posset, si quidem ea omnino concedi potest; sed hoc loco cum *αὖθις ἀνασώζεσθαι* iam pleonastice dictum sit insuper *καὶ αὖθίς τε ἀνασ..* dici posse non credo. Qua re particula *τέ* post *αὖθις* mihi delenda videtur; sed utrum correctura *θις* pro *αὖτε*, quae *αὖθις τε* procreaverit, in archetypo fuerit,

an *τε* cum *ἄν* . . copulatum margini adscriptum et loco alieno insertum sit, ita ut vera sit lectio: *μετέβαλε τε ἀνά — αὖθις ἀνεσ* . . in medio relinquo.

Ex his tribus locis modo tractatis solis, qui argumentationi meae non assentietur, Pausaniam copulationem *καί — τέ* usurpavisse poterit concludere, quamquam hos locos corrigi posse satis explicavisse mihi videor.

Minimi vero momenti eos locos puto, qui iam ex codicum vestigiis corrupti habendi sunt, quamquam Siebelisius etiam his copulationem *καί — τέ* confirmare conatur. Sic locus VII. 10. 6 *καὶ ἐπί τε Σαπαίων τὸν βασιλέα Ἀβρούπολιν στράτευμα ἀγαγὼν ἐποίησεν ἀναστάτους* . . . certe lacunosus est, ut S W indicaverunt; quid vero exciderit, vix potest conici; neque minus mutilus locus X. 13. 10, quem editores restituere non conati sunt; in codd. est: *ἀναθήματα Ὀνάτα τοῦ Αἰγινήτου καὶ Καλύνθου τε ἐστι κωσιεργον* (vel verborum incompositae reliquiae). Brausium vero locum ex parte recte puto restituisse, cum locum simillimum V. 27. 8 *Ὀνάταν δὲ τὸν Αἰγινήτην, σὺν δὲ αὐτῷ Καλλιτέλην ἐργάσασθαι* respiciens emendaret: *καὶ Καλλιτέλους ἐστι* . .; at verba sequentia, quae iam Siebelisius composuit in *τοῦ συνεργοῦ*, rectius mihi sic corrigenda esse videntur: *οἱ συνεργοῦ*, ita ut locus scribatur: *καὶ Καλλιτέλους ἐστὶν οἱ συνεργοῦ*, quo de dativi *οἱ* usu frequentissimo apud Pausaniam infra plura conferemus exempla.

Neque locus VIII. 27. 8 copulationi *καί — τέ* favet, ubi legitur *συνῳκίσθη — πόλις ἐνιαυτῷ τε τῷ αὐτῷ καὶ*

μησί τε ὀλίγοις ὕστερον ἤ . . Bekker iure particulam ineptam *τέ* deleri vult; S W vero, qui *τέ* in *γέ* mutari volunt, non assentior, quod *τέ* — *καί* — *γέ* cfr. Matthiae gr. gr. § 602. hoc loco apte copulari non puto.

Atque haec quidem de copulatione *καί* — *τέ*; nunc eos locos exponam, ubi particula *τέ* a nonnullis v. d. propter positionem inusitatam in disputationem vocata aut transposita aut deleta est. Quam collocationem insolitam offensionis et coniecturarum causam attulisse, eo magis miror, quod Pausaniam in verbis ponendis omnino liberrime neque sine affectatione egisse iam ab aliis pronunciatum est et particulae *τέ* transgressionem etiam a ceteris scriptoribus liberius usurpatam esse constat[1]).

Persaepe enim Pausanias ad aliquod verbum, cui duae voces per *τέ* — *καί* copulatae communes sunt, praemissum *τέ* transgressione adicit, ut II. 2. 3. *Ἀφροδίτης τέ ἐστιν ναὸς καὶ ἄγαλμα*. VII. 21. 7. *πρὸς δὲ τῷ λιμένι Ποσειδῶνός τε ναὸς καὶ ἄγαλμα* . . . IV. 16. 6. *Λακεδαιμονίων* — *ὡρμημένων* — *Τυρταῖός τε ἐλεγεῖα ᾄδων μετέπειθεν αὐτοὺς καὶ ἐς τοὺς λόχους* — *κατέλεγεν ἄνδρας*; particula *τέ* hoc loco subiecto praemisso affixa est, quamquam duo verba praedicativa sibi respondent; X. 30. 2. *Πολύγνωτος δὲ κόρας τε ἐστε* — *φανωμένας ἄνθεσι καὶ παιζούσας ἔγραψε* . ., ubi participia iuste iungenda erant.

Aliis autem locis particulae *τέ* transgressio editoribus

---

[1]) cfr. Matthiae gr. gr. p. 1277. Bernhardy, wiss. Syntax p. 461. Kühner gr. gr. § 520. a. 5. d.

scrupulum iniecit. IX. 38. 4 enim legitur: *καὶ τοῦ Ἡσιόδου τε τὰ ὀστᾶ εὗρον ἐν χηραμῷ τῆς πέτρας καὶ ἐλεγεῖα ἐπὶ τῷ μνήματι ἐπιγέγραπται.* Goettlingio in Hesiod. praef. pg. VII. suadente S W. particulam *τέ* deleri volunt; certe ne quis elegos ipsos quoque Hesiodi fuisse opinetur! Sed hoc loco res duas memorabiles, ossa Hesiodi et elegos sepulcro inscriptos, proprie per *τέ* — *καί* coniungi, quod Pausanias aptius sic potuit dicere: *καὶ εὗρον τά τε Ἡσιόδου ὀστᾶ καὶ ἐλεγεῖα* — *ἐπιγεγραμμένα* vel similiter, nemo non videt; quod vero genitivus *Ἡσιόδου* substantivis *ὀστᾶ* et *μνήματι* communis est, Pausanias ei praemisso particulam *τέ* adicit ut locis supra collatis. — Impeditior autem est locus IX. 8. 3. *ἐκ δὲ τῶν Ποτνιῶν ἰοῦσιν ἐς Θήβας ἔστιν ἐν δεξιᾷ περίβολος τῆς ὁδοῦ τε οὐ μέγας καὶ κίονες ἐν αὐτῷ* . . Porson particulam *τέ* transponit post *περίβολος*, S W tanquam ineptam delent. Sed hoc loco moneo id, quod Reiskius apte ad I. 21. 2 (vid. ed. S W.) adnotat: „non solet Pausanias abhorrere ab intricatissimis verborum traiectionibus, in quibus linguae ignarus elegantiam affectabat;“ et Pfundtner in disser. Regiom. 1866. „affectata igitur quaesitaque verborum collocatio, quae et omni simplicitati ac nativitati et omni repugnat numero, quae sententiam saepe caligine quadam obducit, orationi Pausaniae propria est.“ Et revera, sexcenta possum proferre exempla, unde quanta affectatione Pausanias in verbis collocandis usus sit, satis appareat; neque quidquam apud eum tritius est quam duae voces, quae arcte erant coniungendae, multis aliis disiunctae; haec exempla sunt nescio an non gravissima:

I. 27. 9. *θαλάσσης ἄρχων Μίνως τῆς Ἑλληνικῆς οὐδενὸς Ποσειδῶνα ἦγεν ἄλλου θεοῦ μᾶλλον ἐν τιμῇ.* I. 29. 13. *οἱ πρὶν ἐς Σικελίαν ἀφικέσθαι Δημοσθένην Συρακουσίων κρατήσαντες.* VI. 20. 15. *τοῦ δε ἡνίοχοι ἕνεκα — θύουσι.* VIII. 31. 9. *τῆς στοᾶς δὲ ἣν — καλοῦσι, ταύτης εἰσὶ δύο ὄπισθεν λόφοι.* IX. 2. 7. *ὀρθὸν μεγέθει ἄγαλμα μέγα.* IX. 31. 9. *εἰ τοῖς Πάμφῳ τεκμαίρεσθαι χρή τι ἡμᾶς ἔπεσι.* X. 23. 1. *ἡ πορεία κατὰ ταύτην μάλιστα ἐγίνετό σφισι βραδεῖα τὴν αἰτίαν.* Quae cum ita sint, in loco de quo agimus in verbis *ἐν δεξιᾷ περίβολος τῆς ὁδοῦ τε* offendere dubito, cum verba *ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ* quasi unam efficientia notionem, quia praemissa sunt, particulam *τέ* ad se attraxisse videantur, ita ut *περίβολος* locum suum post *τῆς ὁδοῦ τε* habeat, sed Pausaniae affectatione inter alia verba interpositum sit.

Etiam alius locus propter particulae *τέ* transgressionem mea sententia iniuria pro corrupto habetur; III. 8. 1. enim legitur: *Ἀρχιδάμου δέ, ὡς ἐτελεύτα, καταλιπόντος παῖδας Ἆγίς τε πρεσβύτερος ἦν ἡλικίᾳ καὶ παρέλαβεν ἀντὶ Ἀγησιλάου τὴν ἀρχήν· ἐγένετο δὲ Ἀρχιδάμῳ καὶ θυγάτηρ . .* Quae dictio quam impolita sit et incompta, neminem effugiet, quamquam haec brevitas dicendi astricta, quae apud Pausaniam persaepe reperiatur, mihi quidem verisimilior videtur, quam quod Schubartus offert: *Ἀρχιδάμου δέ, ὡς ἐτελεύτα, καταλιπόντος παῖδας Ἆγίν τε καὶ Ἀγησίλαον, Ἆγις πρεσβύτερος ὢν ἡλικίᾳ παρέλαβεν ἀντὶ Ἀγησιλάου . .*; vide enim, quam male quadret nominum iteratio, quam nescio an Pausanias voluerit evitare. Minime vero

Schubarto assentior, cum dicit: „deinde *τέ* post *Ἄγις* prorsus non habet, quo referatur; quominus enim cum sequente *καί* coniungamus, obstat verborum ordo; hoc si voluisset, Pausanias procul dubio *πρεσβύτερός τε ἦν* scribere debuit.“ At locis supra collatis, cfr. imprimis IV. 16. 6. exposuisse mihi videor Pausaniam saepius id verbum quod duabus commune sit sententiis praemissum cum *τέ* copulare, quamvis particula aptius, ut *καί* responderet, alii verbo addita esset. Quam ob rem etiam hoc loco Pausaniae proprietatem atque affectationem malim agnoscere quam tot verbis mutatis dictionem politiorem recipere.

Locus autem qui legitur IV. 6. 1 per particulae *τέ* transgressionem non est explicandus, quod nonnulli editores videntur voluisse, sed cum Schubarto pro corrupto putandus est, quamquam eum restitui posse existimo. Schubartus quidem, ut ipse in praef. ed. rec. dicit, locum ut desperatum et insanabilem dedit ex lectione codd. Pcd. Ag. Lb., ubi est: *πρὶν δὲ ἢ συγγράφειν με τὸν πόλεμον καὶ ὁπόσα πολεμοῦσιν ἑκατέροις ὁ δαίμων παθεῖν ἢ δρᾶσαι παρεσκεύασε, διακρῖναί τε καὶ ἡλικίας ἔργα ὅπερ ἠθέλησα ἀνδρὸς Μεσσηνίου.* Quod Siebelisius ex Clavierii coniectura recepit, *ἔργα διακρῖναί τε καὶ ἡλικίαν πρότερον ἠθέλησα,* contra rerum continuationem repugnat, quia Pausanias de rebus ab Aristomene gestis proxime non loquitur; Lachmanni vero coniectura *διακρῖναί τι καὶ ἡλικίας πέρι* a codicum lectione est remotior. Sed hoc loco librarios lectiones varias et copulatas recepisse manifestum est, cum codd. alii *τέ καί — ἔργα — ὅπερ,* alii *τε ἔργα καί — πέρι,*

Va τε ἔργα καί — πέρι ὅπερ, Vb τε ἔργα καί — sine πέρι vel ὅπερ exhibeant, neque minus correcturas aut superscriptas aut margini adscriptas vario modo ad lectionem levigandam receptas esse. Equidem verba τέ καί ἔργα a librario omissa puto et margini adscripta esse, unde alieno loco in contextum sunt inserta; ὅπερ vero, quod plurimi codd. habent, corruptum est ex ὑπέρ, quod propter positionem insolitam scriba prudentior correxit in πέρι, unde vel πέρι vel πέρι ὅπερ in codd. La Va fluxit. Itaque locum sic restitui posse arbitror: πρὶν δὲ ἢ συγγράφειν με τὸν πόλεμόν τε καὶ ἔργα, ὁπόσα — παρεσκεύασε, διακρῖναι ὑπὲρ ἡλικίας ἠθέλησα ἀνδρὸς Μεσσηνίου.

Restat ut nonnullos locos, ubi viri doct. ad lectionem restituendam particulam τέ iniuria in suspicionem vocaverunt, breviter exponam.

IV. 16. 8 enim legitur: συλλέξας δὲ ἄλλους τε τῶν Μεσσηνίων καὶ τοὺς περὶ ἑαυτὸν ἅμα ἔχων λογάδας, φυλάξας τε μετὰ ἑσπέραν ἦλθεν ἐπὶ πόλιν τῆς Λακωνικῆς . .; quod φυλάξας hoc loco intransitive positum esse non potest, viri doct. in his verbis iure haesitantes aut locum lacunosum esse putant, qua re Schubartus inter τέ et μετά asteriscum ponit, aut μετά delendum, quod Poppo offert, aut τέ μετά in τὸ μετά mutandum esse, quod Dindorfius ex Siebelisii coniectura recepit. Sed neque unde μετά in contextum irrepserit intellego neque Pausaniam φυλάξας τὸ μετὰ ἑσπέραν puto ita usurpavisse, ut idem significet quod φυλάξας νύκτα vel ἑσπέραν, cum Pausanias τό vel τά cum praepositionibus substantivisque copulatum non usurpet aliis

locis nisi abundanter positum, sicut I. 34. 1. *τὸ ἐξ ἀρχῆς*, I. 15. 3. *τὸ δὲ ἔσω τῆς μάχης*, I. 29. 3. *τὸ κατ' ἀρχάς* I. 37. 4. *τὰ πρὸς Πίτθεως*, II. 1. 9. *τὰ μετὰ τὸ στέρνον*, II. 34. 6. *τὰ δὲ πρὸς θάλασσαν*, III. 14. 6. *τὰ ἐφ ἡμῶν* etc. Similibus vero locis Pausanias *φυλάσσειν* coniungit cum accusativo substantivorum ut I. 9. 7. *φυλάξας δὲ ἐξ Ἠπείρου ἀπιόντα*. VIII. 50. 8. *φυλάξαντες νύκτα ἀσέληνον*. V. 13. 11. *φυλάξαντες οἱ μαντεῖς τὴν ἐνάτην*. IX. 32. 6 *φυλάξας Ἀλκιβιάδην ἀπόντα*. X. 1. 11. *φυλάξαντες πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης* cfr. etiam II. 20. 2. IX. 1. 5. — 32. 7; neque aliter hoc loco *φυλάξας ἑσπέραν* coniungendum esse puto. Post *μετά* autem librariorum neglegentia *ταῦτα* propter exitus similitudinem excidit; quo verbo restituto locus sic est refingendus: *φυλάξας τε μετὰ ταῦτα ἑσπέραν ἦλθεν ἐπί* . . .; particula *τέ* autem nequaquam delenda est, quod participia *συλλέξας* et *φυλάξας* ea connectuntur.

Ut hoc loco verbo praecedenti alterum oppressum est, sic X. 5. 4 ex contrario praecedens verbo sequenti, quem locum editores nondum restituisse mihi videntur. Schubartus enim dedit: *καὶ τὰ τοῦ Λαΐου* (*δὲ* codd.) *μνήματα καὶ οἰκέτου τοῦ ἑπομένου ἐνταῦθα* (codd. *ταῦτα* vel *ταὐτά*) *ἐστὶν ἐν μεσαιτάτῳ τῆς τριόδου* . . Locum, ubi sepulcra fuerint, per *ἐνταῦθα — ἐν μεσαιτάτῳ τῆς τρ.* destinari certe necesse non est, sed *ἐνταῦθα* mihi quidem plane abundare videtur. Codicum autem vestigia *ταὐτά* alii favent coniecturae, quae multis locis similibus potest sustentari. Persaepe enim Pausanias loquitur: *τέ — καὶ κατὰ ταὐτά* vel *τὲ κατὰ*

ταὐτά — *καί* cfr. IX. 23. 1. *κατὰ ταὐτὰ τῷ τε ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ τῷ* . . I. 38. 3. *Πάμφως τε κατὰ ταὐτά καὶ Ὅμηρος*. I. 33. 7. *καὶ οὗτοι καὶ πάντες κατὰ ταὐτὰ* similiter I. 42. 2. — VIII. 54. 6. — IX. 35. 6; ita ut particula *δέ* post *Λαΐου*, quam S W delent, in *τέ* mutanda, quod iam Siebelisius coniecit, et totus locus sic scribendus sit: *τὰ τοῦ Λαΐου τε μνήματα καὶ οἰκέτου τοῦ ἑπομένου κατὰ ταὐτά ἐστιν ἐν μεσαιτάτῳ τῆς ὁδοῦ*.

Alio loco autem particula *δέ* in *τέ* ab editoribus mutata lectionem neque restituere neque cum codd. vestigiis convenire videtur. IX. 23. 6. enim codd. habent: *τοῦτον ἀποσταλέντα ὑπὸ Μαρδονίου τὸν Μῦν ἐπερέσθαι δὲ* (*τῇ* R) (*δὲ τῇ* Va. b.) (*μὲν* La) *φωνῇ τῇ σφετέρᾳ, καί οἱ χρῆσαι τὸν θεὸν οὐχ ἑλληνίσαντα οὐδὲ αὐτὸν διαλέκτῳ τῇ Καρικῇ*. Siebelisius *δέ* ante *φωνῇ* delet; Bekker, quem SW sequuntur, mutat in *τέ*. Sed in codd. duas fuisse lectiones, *δέ* et *δὲ τῇ*, apparet neque minus eas correctura margini adscripta exortas esse. Particula *δέ* enim, quae ante *τῇ* exciderat, cum *τῇ* copulata margini adscripta erat, unde manu sinistra in contextum est inserta[1]); particula *δέ* igitur ante *τῇ Καρικῇ* transponenda est, ubi excidit, ita ut legendum sit: *τὸν Μῦν ἐπερέσθαι φωνῇ τῇ σφετέρᾳ, καί οἱ χρῆσαι τὸν θεὸν οὐχ ἑλληνίσαντα οὐδὲ αὐτόν, διαλέκτῳ δὲ τῇ Καρικῇ*.

---

[1]) De hoc genere correptularum iam disputavimus pg. 7—9.

De usu particulae *τέ* satis dictum. Deinceps, ut erat propositum, de usu dativi, qui quidem a Pausania liberius usurpatus et a viris doct. in disputationem vocatus est, dicatur.

Siebelisio qui in adnotatione ad VI. 3. 2 Pausaniam crebro dativum genitivi loco posuisse dicit et hac ratione locos multos et difficiles expedire studet, iure Schubartus oblocutus confusionem horum casuum Pausaniae propriam esse negat[1]), cum alios locos, in quibus dativus durius usurpatur, recte interpretando probat alios iudicat corruptos.

Quam Schubarti rationem sequenti et locos, in quibus dativus genitivi loco positus videtur esse, percensenti tria locorum genera mihi occurrerunt, quorum primum et alterum non ita raro etiam apud alios scriptores graecos praecipue apud Herodotum et Thucydidem reperiuntur, sed tertium ab omni orationis elegantia et grammaticorum legibus adeo abhorret et tam paucis exemplis apud Pausaniam ipsum fulcitur, ut hos locos corruptos iudicari quam lege illa monstruosa, qua Pausanias dativum et genitivum commutaverit, explicari malim.

Ac primum quidem genus eum complectitur usum, quo dativus cum verbo coniungendus personam non tam participem ullius rei quam una agentem producit; sicut V. 17. 8. *Ἀμφιαράῳ δὲ ὁ μὲν τῶν ποδῶν ἐπιβέβηκεν ἤδη τοῦ ἅρματος.* IV. 8. 10. *τὸ δὲ ἕτερον κέρας τοῖς Μεσσηνίοις ἐταλαιπώρει;* genitivus his locis

[1]) cfr. Zeitschrift fuer Alterthumswiss. 1851.

attenuate possessoris nomen indicaret. Saepius autem dativus personam aut rem simpliciter ut possessorem repraesentat, ubi genitivus nescio an aptior esset; ut I. 18. 9. *Φρυγίου λίθου πεποίηνται καὶ ταῖς στοαῖς — οἱ τοῖχοι*. I. 12. 4. *ὅς* (sc. *Ὅμηρος*) *βασιλεῦσι κλίνας — ἐλέφαντι ἐποίησε κεκοσμένας*. I. 2. 4. *ἐς ὃν Κῴοις ὁ μῦθος — ἔχει*. I. 20. 6. *ὡς Ἀθηναίοις εἴη τὸ τεῖχος ἑαλωκός* i. e. muros Athenarum captos esse; II. 7. 1. *Ῥοδίοις ἐσείσθη μάλιστα ἡ νῆσος καὶ τὸ λόγιόν τε τελέσθαι Σιβύλλῃ τὸ ἐς τὴν Ῥόδον ἔδοξεν*. III. 13. 4. *ἐνέπεσεν ἐς τὸ στρατόπεδον τοῖς Δωριεῦσι μήνιμα,* ubi, cum dativus *τοῖς Δ.* ad *ἐνέπεσεν* pertineat, duae verbi *ἐμπίπτειν* constructiones: *ἔς τι* et *τινί* copulatae sunt; similiter VIII. 23. 7. *καί σφισι ταῦτα ἐργασμένοις ἐσέπεσεν ἐς τὰς γυναῖκας νόσος;* sed num hoc loco *ἐσέπεσεν* legendum sit, equidem dubito; codices enim varias habent lectiones: *ἐσέπ.* Pcd Ag La — *ἔπεσ* . . M Va Lb. — *ἐπιέπ* . . A. Vb., Pausanias autem ipse *ἐσπίπτειν ἐς* omnibus aliis locis in propria significatione usurpat ut III. 21. 2. *ἐς ταύτην* (sc. *πηγήν*) — *ἐσπεσεῖν παρθένον*. — II. 17. 2. *ἐς φάραγγα ἐσπίπτων*. II. 34. 1. *ἐσπεσόντα ἐς θάλασσαν*. X. 5. 12. *ἐς χάσμα γῆς ἐσπεσεῖν*. I. 20. 1. *πυρὸς ἐσπεσόντος ἐς τὸ οἴκημα;* in verbi immutatione *ἐμπίπτειν ἐς* vel *τινί* ut II. 18. 4. *μανία ταῖς γυναιξὶν ἐνέπεσεν*. — II. 8. 2. *ἐνέπεσε — πολλοῖς ἐπιθυμία*. I. 20. 7. *Σύλλᾳ — ἐνέπεσεν ἡ νόσος*. IV. 9. 1. *τοῖς δὲ καὶ νόσος ἐνέπεσε*. X. 23. 7. *ἐνέπεσε μὲν ἐς τὸ στράτευμα ἡ ταραχή* . . Itaque etiam loco de quo agimus corrigendum esse puto: *καί σφισι ταῦτα ἐργασμένοις ἐνέπεσεν ἐς τὰς γυναῖκας νόσος*.

Saepe autem ad dativum dativus epexegeticus additus est ut VI. 1. 1. *ἕπεται δέ μοι τῷ λόγῳ*. I. 37. 2. *μαρτυρεῖ δέ μοι τῷ λόγῳ*. III. 26. 9. *ἐπίκειται δέ οἱ τῇ κεφαλῇ στέφανος*. X. 13.5. *ὁ Πάτροκλος συμπαραθεῖ οἱ τῷ ἵππῳ*. Huc etiam ii loci referendi sunt, in quibus duorum dativorum concursio durior videtur: VIII. 44.6. *ἔθυσε, καθὰ καὶ ὁ πατήρ οἱ τῷ Λυκαίῳ Διί*. — I. 17. 2. *πεποίηται δέ σφισιν ὁ πόλεμος οὗτος καὶ τῇ Ἀθηνᾷ ἐπὶ τῇ ἀσπίδι καὶ* . . VII. 24. 1. *Αἰγιεῦσι δὲ ἔστι μὲν πρὸς τῇ ἀγορᾷ ναὸς Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι*, cui loco simillimus alter: X. 36. 8. *ἔστι δέ σφισιν ἐπὶ τῷ λιμένι Ποσειδῶνι οὐ μέγα ἱερόν*, ubi Schubartus iniuria *Ποσειδῶνος* scribi vult.

Nihil vero apud Pausaniam usitatius est quam dativus, quamquam cum verbo coniungendus est, inter articulum et substantivum interpositus; sicut X. 5. 13. *τὸν δ' ἐφ' ἡμῶν τῷ θεῷ ναὸν ᾠκοδόμησαν*. III. 19. 3. *ἐς τοῦτον Ὑακίνθῳ τὸν βωμόν — ἐναγίζουσιν*. IX. 40.5. *τὸ δὲ νῦν τοῖς Χαιρωνεῦσιν ὄνομα γεγονέναι ἀπὸ Χαίρωνος*; frequentissime autem ita dativi *οἷ* et *σφίσιν* usurpantur a Pausania: VI. 17. 2. *ἡ δέ οἱ νίκη σταδίου γέγονεν*. I. 22. 1. *τοῦ δέ οἱ βίου τὴν τελευτὴν συμβῆναι λέγουσι*. IV. 13. 2. *τὴν δέ οἱ θυγατέρα ἐπιφανῆναι*. IV. 18. 7. *τὸ γάρ οἱ φρόνημα ἦν*. V. 1. 11. *ὁ δέ οἱ πατὴρ Π. Θεσσαλὸς ἦν*. X. 8. 1. *ἐκνικῆσαι — τὸ νῦν σφίσι ὄνομα* etc. Aliis locis autem dativi interpositi laxius cum verbo coniungendi sunt, ut: I. 7. 3. *ἃς ὁ πατήρ οἱ Σέλευκος ἐποιήσατο συνθήκας*. IV. 27. 6. *οἱ δέ σφισιν ἱερεῖς Θεαῖς ταῖς Μεγάλαις* — ubi dativus *σφίσι* laxius verbo *ἔθυον* longe praecedenti appositus

est; IV. 4. 1. *τὸ δέ σφισιν ᾆσμα προσόδιον ἐς τὸν θεόν ἐδίδαξεν Εὔμηλος* dativus ad verbum *ἐδίδαξεν* referendus est; VIII. 48. 4. *λαβοῦσαι αἱ γυναῖκές σφισιν ὅπλα ἐλόχων ὑπὸ τὸν λόφον,* i. e. feminae cum eorum arma cepissent, sub collem subsederunt. IX. 7. 3. *τῶν δέ οἱ παίδων Φίλιππον — ἀπήγαγεν — νόσος.* Quem usum dativi, qui non minus apud Herodotum invenitur, Pausanias sic amplificat, ut *οἷ* omni relatione ad verbum sublata genitivi loco videatur positum esse; sicut: I. 6.2. *τὴν γάρ οἱ μητέρα ἔχουσαν ἐν γαστρὶ δοθῆναι γυναῖκα — Λάγῳ.* III. 2. 1. *ὁ δέ οἱ πρόγονος — τὴν νῆσον εἷλεν ἔτι πρότερον.* VIII. 2. 1. *Λυκάων δὲ ὁ Πελασγοῦ τοσάδε εὗρεν ἢ ὁ πατήρ οἱ σοφώτερα.* IX. 13. 1. *ὁ δέ οἱ πατὴρ χρημάτων ἕνεκα μέσου ἀνδρὸς ἀπέδει Θηβαίου.* Quae cum ita sint, Pausaniam aliis locis dativum *οἷ* genitivo directo opponere, mirum esse non potest. Sic legitur II. 10. 6. *τὰ δέ οἱ φύλλα ἐλάσσονα ἢ φηγοῦ;* V. 10. 3. *ὕψος μὲν δὴ αὐτοῦ τὸ ἐς τὸν ἀετὸν ἀνῆκον, εἰσίν οἱ ὀκτὼ πόδες καί ἑξήκοντα,* ubi Kuhnius male coniecit *αὐτῷ,* Facius autem *οἱ* eiciendum esse putavit. Qui locus praeterea eo minus offensionis habet, quod Pausanias saepe genitivum simulque dativum possessivum nullo significationis discrimine ex eodem verbo facit pendentes, ut I. 29. 6. *αὖθις δέ ἐστιν Ἀθηναίων μνήματα, Κλεισθένους — καὶ ἱππεῦσιν.* I. 41. 1. *καὶ γὰρ τοῖς Ἡρακλέους παισί — τάφον εἶναι καὶ Ἀμφιτρύωνος.* IV. 34. 6. *τῷ μὲν δὴ Ἀσκληπιῷ καὶ Διονύσῳ λίθου, Διὸς δὲ Σωτῆρος χαλκοῦν ἄγαλμα — πεποίηται.* VII. 24. 2. *ἱερόν — Κόρης τε πεποίηται τῆς Δήμητρος καὶ τέταρτον Ὁμαγυρίῳ Διί.* IX. 16. 7. *τὰ μνήματα πεποίηται*

— *χωρὶς μὲν τῶν ἀρσένων, ἰδίᾳ δὲ ταῖς παρθένοις.* IX. 31. 3. *ἆθλα οὐ μουσικῆς μόνον ἀλλὰ καὶ ἀθληταῖς τιθέντες*, ubi coniectura Osannii *μουσικοῖς* supervacanea est.

Quae constructionis mutandae captatio apud Pausaniam etiam usu verborum *ἡγεῖσθαι* et *κρατεῖν* dilucide apparet. IV. 8. 11 enim legimus *Λακεδαιμονίων ὁ Εὐρυλέων, Μεσσηνίοις δὲ Κλέοννις ἡγεῖτο;* et VI. 14. 3. *κρατῆσαι τούς τε — ἀνταγωνιστάς, καί — τῶν ἀνδρῶν.*

Locis adhuc collatis dativus substantivis appositus et significatione possessiva vel ethica usurpatus ad verbum potuit referri, iis exceptis locis, in quibus Pausanias mirabili quadam affectatione dativum *οἷ* sine ulla relatione ad verbum genitivi loco posuisse videtur. Quem usum dativi *οἷ* Pausaniae proprium Siebelisius etiam in eos voluit proferri locos, in quibus dativus substantivi alicuius vel pronominis *αὐτός* ad substantivum adiectus videtur esse, ita ut genitivi significationem et locum teneat. Quam sententiam iam Schubartus impugnavit et ipse quoque improbo, quamquam in locis his interpretandis vel emendandis Schubarto ubique assentiri non possum.

Huc autem, ut singulos percenseamus locos, in quibus dativi substantivorum vel pronominis *αὐτός* ad verbum non spectant, loci referendi sunt ut IV. 26. 6. *τὸ μήνιμα ἤδη σφισι πέπαυται τὸ Διοσκούρων* i. e. Gemellorum ira in eos deferbuit[1]); IX. 25. 6. *Δήμητρος δ' οὖν*

[1]) Sed IV. 27. 1. Pausanias loquitur: *τὸ δὲ τῶν Τυνδάρεω παίδων μήνιμα ἐς τοὺς Μεσσηνίους ἦρξατο* . .

Καβείροις δῶρον . ., ubi quidem dativi usui nihil miri inest, quod substantiva *μήνιμα* et *δῶρον* a verbis dativum recipientibus derivantur. Sed durior dativi usus, qui verbo omisso intellegendus est. Sic legimus III. 15. 4. *Οἰωνὸς ἡλικίαν μὲν μειράκιον, ἀνεψιὸς δὲ Ἡρακλεῖ — ἀφίκετο . .*; dativus *Ἡρακλεῖ* pendet e participio *ὢν* omisso, quod IV. 2. 5 additum est: *τὸν Κρηθέως — ἀνεψιὸν ὄντα αὐτῷ*; idem cadit in locum VIII. 3. 5. *Οἴνωτρος δὲ ὁ τῶν παίδων νεώτατος Λυκάονι ἀρσένων — ἐπεραιώθη . . .* Aliter vero res se habet VI. 3. 3. ubi legitur: *φαίνοιτο ἂν οὖν ἡ ἐπὶ Σικυῶνα Ἠλείων καὶ Θηβαίων στρατεία γεγενῆσθαι μετὰ τὸ ἀτύχημα Λακεδαιμονίοις τὸ ἐν Λεύκτροις.* In dativo iam Sylburgius offendit, qui aut *Λακεδαιμονίων* aut *Λακεδαιμονίοις συμβὰν* scribendum esse putavit; Schubartus in praef. ed. rec. genitivum praefert. Ego vero, quamquam Siebelisii adnotationem a. l. dativum genitivi loco positum esse improbo, tamen dativum repudiare non audeo, cum Pausanias participii ellipsi uberius quam ceteri scriptores utatur, neque hoc loco ex verbo *γεγενῆσθαι* participium *γεγενημένον*, unde dativus pendeat, intelligere difficile sit. Quod vero Pausanias aliis locis cfr. I. 3. 4. VIII. 6. 2. genitivum posuit[1]), inde nihil potest effici, quod illis locis participium, ad quod dativus referatur, ex verbo finito intelligi non potest. Sed non pauci extant apud Pausaniam loci, qui nisi per participii ellipsin non possunt explicari. Ut exemplum frequentissimum praemittam, legitur: V. 25. 13.

---

[1]) cfr. Schubartus in praef. pg. XXIII.

τῷ δὲ ἀναθήματι τῷ ἐς Ὀλυμπίαν Θασίων ἔπεστιν ἐλεγεῖον et V. 27. 2. *τὰ δὲ ἐς Ὀλυμπίαν δύο τέ εἰσιν ἵπποι* — et ellipsis durior VI. 18. 1. *τὰ δὲ ἀναθήματα αὐτῷ τὰ ἐς Ὀλυμπίαν ἐστὶ τοῦ Ῥ. Πυθαγόρου τέχνη;* aliis autem locis Pausanias participium *ἀνατεθείς*, quod tribus illis locis omisit, addidit cfr. V. 23. 3. *τὸ δὲ ἄγαλμα ἐν Ὀλυμπίᾳ τὸ ἀνατεθὲν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων.* X. 7. 6. *τρίπους χαλκοῦς ἀνατεθεὶς τῷ Ἡρακλεῖ τῷ ἐν Θήβαις.* Neque aliter quam participio omisso, nisi lectionem mancam esse mavis, hi loci possunt explicari: I. 35. 1. *τὴν Ἀττικὴν ἐν ἀριστερᾷ πλέουσιν.* X. 26. 9. *τὸ δὲ τὴν χεῖρα ὑπὸ δείματος ἐπίπροσθε τῶν ὀφθαλμῶν πεποίηται;* utroque loco participium *ἔχουσι* vel *ἔχον* intellegendum est[1]), quod omnibus similibus locis a Pausania positum est cfr. VIII. 24. 4. *ἐν δεξιᾷ — το ὄρος ἔχων* VIII. 35. 1. etc. — VIII. 26. 3. *ἀπὸ τούτου δὲ ἐς Ἐρύμανθον ὅσον εἴκοσι ἀφίξῃ σταδίους* et VIII. 35. 3. *σταδίους ἀπὸ τοῦ Ἀλφειοῦ τεσσαράκοντα ἥξεις μάλιστα ἐς Φ.;* utroque loco accusativi *σταδίους* desiderant participium *προελθών*, quod similibus locis reperitur cfr. VIII. 20. 1. *προελθόντων σταδίους — ἀφίξῃ.* VIII. 34. 1. etc. — IX. 27. 8. *Ἐρυθραίους τοὺς ἐς Ἰωνίαν καὶ Τυρίους ἱερὰ ἔχοντας;* utrum hoc loco ad *ἐς Ἰωνίαν* participium *τελοῦντας* vel *συντελοῦντας* an aliud intellegendum sit, nescio. Qui loci si sani sunt, quamquam in compluribus alii aliud coniecerunt, quantam

---

[1]) Num VIII. 31. 3. *ἔστι — Ἡρακλῆς — μέγεθος μάλιστα πῆχυν* Siebelisius iure participii *ἔχων* ellipsin coniciat, dubito; ex similibus locis *ἐς* excidisse puto. cfr. VIII. 30. 3 *μέγεθος ἐς πόδας δώδεκα.* — I. 18. 7. *ἐς πῆχυν.* VII. 18. 11. *ξύλα — ἐς ἑκκ. πήχεις.*

licentiam Pausanias participiis omissis admiserit, satis docent. Sed hoc loco, unde digressus sum, cum participium *γεγενημένον* facile ex infinitivo praecedenti *γεγενῆσθαι* intelligi possit[1]), ellipsis non ita a Pausaniae dictione aliena putanda est neque correcturam dativi in genitivum necessariam esse existimo.

His expositis nunc de eo dativi ad substantiva additi usu dicam, qui, cum ne ellipsi quidem participii possit defendi, a Schubarto iure repudiatur.

Legitur enim V. 4. 4. *τῷ δὲ Ὀξύλῳ Πιερίαν μὲν τῇ γυναικὶ ὄνομα εἶναι λέγουσι, πέρα δὲ ἐς αὐτὴν οὐ μνημονεύουσιν. Ὀξύλου δὲ γενέσθαι παῖδάς φασιν Αἰτωλὸν καὶ Λαΐαν.* Dativus *τῷ δὲ Ὀ.* cum ad sequentem dativum *τῇ γυν.* nullo modo referri possit sed melius ad verbum *γενέσθαι*, Schubartum adduxit, ut *τῷ δὲ Ὀξύλῳ* et *Ὀξύλου δέ* locos inter se librariorum culpa mutasse existimet (vid. Zeitschr. f. Altherth. 1851.) Quae coniectura quamquam loci difficultates videtur expedire, tamen magis speciosa quam vera est. Nam neque quomodo casuum mutatio facta sit intellego, neque Pausaniam ipsum verba *τῷ δὲ Ὀξύλῳ* ad sequentia *Πιερίαν μέν* . . . referri voluisse puto, cum *Πιερίαν μέν* — *μνημονεύουσιν* ut permultis aliis locis a Pausania tanquam parenthesi substantivo graviter praemisso adiunctum sit, ita ut *τῷ δὲ Ὀξύλῳ* ad verbum *γενέσθαι* pertineat; cfr. constructiones simillimas X. 9. 2. *Φαΰλλῳ δὲ Κροτωνιάτῃ,* — sequitur parenthesis — *τούτου ἐστὶν ἀνδριάς* . . IV. 4. 5., 18. 7. Genitivus autem *Ὀξύλου*

---

[1]) cfr. Hermanni adnot. ad Vig. p. 58.

δέ ut correctura vel altera lectio pro *δὲ Ὀξύλῳ* a margine in contextum insertus est. Itaque locum scribendum esse puto: *τῷ δὲ Ὀξύλῳ — Πιερίαν μὲν τῇ γυναικὶ ὄνομα εἶναι λέγουσι, πέρα δὲ ἐς αὐτὴν οὐ μνημονεύουσι — γενέσθαι παῖδάς φασιν . . .*

Locus autem VIII. 20. 2. iam a S W. pro corrupto habitus est, cum complures praebeat difficultates. Legitur enim: *ὁ δὲ Λάδων ποταμῶν τῶν ἐν Ἑλλάδι ὕδωρ παρέχεται κάλλιστον, ἔχει δὲ καὶ ἄλλως ἐς ἀνθρώπους φήμην Δάφνης τε ἕνεκα καὶ τὰ ᾀδόμενα ἐς τὴν Δάφνην. Τοῦ λόγου δὲ τοῦ ἐς Δάφνην τὰ μὲν Συρίας τοῖς οἰκοῦσιν ἐπὶ Ὀρόντῃ ποταμῷ παρίημι . . .* Cuius loci priorem partem *ἔχει — Δάφνην* editores inter *καί* et *τὰ ᾀδόμενα* praepositione *διά* inserta restitutam esse arbitrati sunt; S W. autem „*Δάφνης τε ἕνεκα* ob misellam tautologiam, quae manifestum glossema prodit“ uncis circumscripserunt; alteram vero partem loci Schubartus, quod dativus *τοῖς οἰκοῦσιν,* quem pro genitivo positum esse Siebelisius adnotat, quo referatur, non habeat, mancam esse opinatus lacunam asteriscis ante *Συρίας* positis indicat. Sed lectio, quam S W. relinquunt: *ἔχει δὲ καὶ ἄλλως ἐς ἀνθρώπους φήμην καὶ τὰ ᾀδόμενα ἐς τὴν Δάφνην,* quam misere sit conglutinata, quis est qui non intellegat, neque sic Pausaniam locutum esse credibile est. Facili vero mutatione id quod in loci priore parte abundat in alteram transpositum totum locum sanabit; quae conjectura eo verisimilior videtur, quod vitio a librariis saepe commisso nititur. Verba enim *τὰ δὲ ᾀδόμενα ἐς τὴν Δάφνην* propter similitudinem facile post *τοῦ λόγου ἐς Δάφνην*

excidere potuerunt; omissa autem margini adscripta et alieno loco inserta sunt. Quo errore sic correcto: *ἔχει δὲ καὶ ἄλλως ἐς ἀνθρώπους φήμην Δάφνης τε ἕνεκα καὶ τοῦ λόγου τοῦ ἐς Δάφνην· τὰ δὲ ᾀδόμενα ἐς τὴν Δάφνην τὰ μὲν Συρίας τοῖς οἰκοῦσιν ἐπὶ Ὀρόντῃ ποταμῷ παρίημι, λέγεται δὲ καὶ ἄλλα* . ., dativus *τοῖς οἰκοῦσιν* apte cum *ᾀδόμενα* coniungi potest et facili mutatione figuram prolepsis *τὰ δὲ ᾀδόμενα* — *τὰ μὲν* — *δέ* — a Pausania uberrime usurpatam restituimus; cfr. locos simillimos II. 30. 1 *ναοί δέ* — *ὁ μέν* — *ὁ δέ* —. V. 10. 8. *Κένταυρος δέ* — *ὁ μέν* — *ὁ δέ* — — IX. 11. 4. *ἄγαλμα δέ* — *τὸ μέν* — *ἔργον δέ* . . et V. 12. 7., VI. 1. 7. etc.

Duobus autem aliis locis dativus, cum iusto modo explicari non possit, a Schubarto in genitivum mutatus est. Sed quo iure id fecerit, nunc exquiramus.

IX. 15. 3 enim legitur: *Ὀρχομενίους Θηβαῖοι ποιοῦσιν ἀναστάτους ἐκ τῆς χώρας· συμφορὰν δὲ τὴν ἀνάστασιν τοῖς Ὀρχομενίοις ἐνόμιζεν ὁ Ἐπαμεινώνδας, καὶ οὔ ποτ' ἂν ἐξεργασθῆναι τόλμημα τοιοῦτον αὐτοῦ γε παρόντος ἔφασκεν ὑπὸ Θηβαίων*. Recte quidem Schubartus (v. Zeitschr. f. Alterth. 1851.) sententiam Siebelisii dativum *τοῖς Ὀρχ.* pro genitivo positum cum *ἀνάστασιν* coniungendum esse impugnat; sed dativo in genitivum mutato (cfr. Schub. in praef. p. XVII.) omnes loci difficultates sublatas esse nego. Nam ad illud Epami nondae: „eiectionem Orchomeniorum calamitatem esse“ verbis, quae sequuntur, accessio tam gravis et vituperatio tam iusta adiungitur, ut etiam sententiam antecedentem accuratius et definitius ab Epaminonda dictam

esse existimem; vel ut uno verbo complectar, in Epaminondae sententia desideramus, cui eiectio Orchomeniorum calamitati sit, cum Orchomeniis eam calamitati esse Epaminondas sine dubio dicere noluerit. Sed quod idem rem vehementer improbat, inde Epaminondam, ne Thebanis ipsis eiectio Orchomeniorum calamitati esset, timuisse conicio. Quam ob rem locus fortasse sic restituendus est: *συμφορὰν δὲ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς Ὀρχομενίων ἐνόμιζεν ὁ Ἐπαμεινώνδας*. Quam facile autem ex *αὐτοῖς Ὀρχομενίων* dativus *τοῖς Ὀρχομενίοις* librariorum errore et correctione oriri potuerit, nemo non intellegit. De dativo autem *αὐτοῖς* inter duo verba cohaerentia collocato cfr. VIII. 3. 5 *τῶν παίδων νεώτατος Λυκάονι ἀρσένων*. I. 41. 2. *ὁ τῶν ἐπιχωρίων ἡμῖν ἐξηγητὴς ἡγεῖτο*, et III. 14. 9., VII. 17. 3., X. 5. 13. et quos locos contuli pg. 40.

Alter locus autem est VIII. 13. 6, *μετὰ δὲ τοὺς ὅρους ταῖς κατειλεγμέναις πόλεσι φάραγξ τε ὑπόκειται καὶ φέρει δι' αὐτῆς ἡ ἐς Φένεον ὁδός*, ubi Schubartus edidit *ὅρους τῶν κατ. πόλεων*, cum neque dativus *ταῖς* .. cum substantivo *ὅρους* coniungi possit neque natura regionis eum ad verbum *ὑπόκειται* referri patiatur; librarium autem Schubartus putat consilio atque ratione genitivum in dativum mutavisse, ut eum ad *ὑπόκειται* adaptaret. Quae coniectura quamquam locum tanquam ascia videtur dolare, tamen asperitatem, in qua priores editores non offenderunt, tollere studet; sed utrum vera sit an librariorum neglegentia aliquod participium unde dativus pendeat omissun sit ut (*ὅρους —*) *κειμένους* vel *συνάπτοντας* vel *συμμίσγοντας* (cfr. loco ipso de

quo agimus *συνάπτουσιν — ὅροι*, X. 33. 12. *αὕτη ἡ ὁδὸς καὶ ἡ — συμμίσγουσι*) vel aliud, disceptare non audeo.

Exposito igitur dativi usu, qui ad substantiva adiectus aut cum verbo finito ipso coniungendus aut per ellipsin participii ex verbo intellegendi explicandus est, nunc breviter de dativo dicam, qui more poëtico[1]) pro praepositione *ἐν* vel *ἐπί* videtur positus esse.

Ut enim apud Euripidem Bach. v. 310 legimus: *μὴ τὸ κράτος αὔχει δύναμιν ἀνθρώποις ἔχει*, ita similiter apud Pausaniam VII. 6. 2. *ἦσαν δὲ τὸ μέγιστον τοῖς Ἀχαιοῖς ἔχοντες κράτος* .. quod interpretamur: apud Achaeos principatum obtinuerunt filii Tisameni; vel ut Herodotus scribit VI. 70. *ἄλλα τε Λακεδαιμονίοισι συχνὰ ἔργοισί τε καὶ γνώμῃσι ἀπολαμπρυνθείς*, ita Pausanias dativum similiter usurpat X. 35. 2. *καὶ τοῦδε ἕνεκα οἵ τε ἐν τῇ Ἁλιαρτίᾳ ναοὶ καὶ Ἀθηναίοις τῆς Ἥρας ἐπὶ ὁδῷ τῇ Φαλαρικῇ καὶ ὁ ἐπὶ Φαλήρῳ — ἡμίκαυτοι μένουσι*, ubi Pausanias, quibus in finibus delubra a Persis concremata ostendantur, narrat; similiter etiam X. 5. 11. *Ῥωμαίοις δὲ ἡ ἀγορὰ μεγέθους ἕνεκα καὶ κατασκευῆς τῆς ἄλλης θαῦμα οὖσα παρέχεται τὸν ὄροφον.*

Per praepositionem „apud“ etiam hi loci interpretandi sunt: I. 33. 7. *ἐπεὶ μηδὲ Σμυρναίοις τὰ — ξόανα ἔχει πτερά.* — IV. 7. 8. *τοῖς δὲ Μεσσηνίοις κατὰ μὲν τὸ δεξιὸν τῶν Λακεδ. ἀντετάσσοντο Ἄντανδρός τε καὶ Εὐφ.* i. e. apud Messenios dextero Laced. cornu se opposuerunt Ant. et Euph. VII. 24. 1. *Αἰγιεῦσι δὲ*

---

[1]) vid. Bernhardy, wiss. Syntax p. 77.

ἔστι μὲν πρὸς — ναὸς Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι i. e. apud Aegienses . . . Et ut apud Platonem Leg. 4. 706D *Ὀδυσσεὺς αὐτῷ* (sc. *Ὁμήρῳ*) *λοιδορεῖ τὸν Ἀγαμέμνονα*, ita apud Pausaniam legimus IV. 28. 8. *Ἑλλήνων δὲ οἱ τὰ τραύματα ἔχοντες ὁπλίζουσιν αὐτῷ* (*Ὁμήρῳ*) *τὸ μάχιμον* i. e. apud Homerum . . .

Durior autem usus dativi duobus locis mihi videtur, in quibus non de personis sed de rebus agitur: VI. 2. 4. *τοῦ Θρασυβούλου δὲ τῇ εἰκόνι γαλεώτης πρὸς τὸν ὦμον προσέρπων ἐστὶ τὸν δεξιόν*, quod interpretamur: „in statua vipera per Thrasybuli dexterum humerum repit." Altero autem loco V. 11. 3. Pausanias perspicuitatem magis quam elegantiam captasse videtur, cum dativus loci praemissus praepositione *ἐπί* repetitur: *τῷ μὲν δὴ κατ' εὐθὺ τῆς ἐσόδου κανόνι ἑπτά ἐστιν ἀγάλματα ἐπ' αὐτῷ* i. e. in ea, quae in fronte est regula, septem sigilla se ostendunt. Cui loco simillimus est alter, VIII. 48. 1. ubi genitivus loci per praepositionem *ἐν* repetitur: *τῆς ἀγορᾶς δὲ μάλιστα ἐοικυίας πλίνθῳ κατὰ τὸ σχῆμα, Ἀφροδίτης ἐστὶν ἐν αὐτῇ ναός* . . Quibus exemplis praemissis locus mihi non est omittendus, ubi nescio an iniuria Bekker, quem S W. secuti sunt, in dativo offendens praepositionem *ἐν* inseri vult.

X. 2. 7. enim legitur: *Φαΰλου δὲ ἀποθανόντος ἐς Φάλαικον τὸν παῖδα αὐτοῦ περιεχώρησεν ἡ Φωκεῦσι δυναστεία;* Schubartus quoque Bekkero suadente *ἐν* ante *Φωκεῦσι* inseruit. Sed dativus mea quidem sententia non solum ex locis modo tractatis, (cfr. maxime VII. 6. 2. *τὸ μέγιστον τοῖς Ἀχαιοῖς — κράτος*)

defendi potest, sed etiam quod idem ad verbum περιεχώρησεν referri potest, cuius usus exempla non pauca contulimus pg. 38 sq. Lucidissime vero dativi localis[1]) usus apparet his locis: VII. 14. 2. τοὺς Σπαρτιάτας, οἳ Κορίνθῳ τότε ἔτυχον ἐπιδημοῦντες, ubi Zinkius solus praepositionem ἐν desiderat. VII. 27. 1. τῷ δὲ χθαμαλωτέρῳ πεπόλισταί σφισιν οὐ συνεχὴς ἡ πόλις i. e. in planiore clivi parte oppidum conditum est. VIII. 25. 6. τῷ Λάδωνι ἐθελῆσαί φασιν αὐτὴν λούσασθαι (sc. Δήμητρα) et post parvum spatium λούσασθαι τῷ Λάδωνι; utroque loco Clavierius perperam scribi ἐν Λάδωνι vult. Idem offendit in loco IX. 31. 6. καὶ αὐτόθι ἀσεβήσασιν ἐς Ποσειδῶνα ἐγένετο τῇ Μολυκρίᾳ σφίσιν ἡ δίκη, et ἐν ante τῇ Μ. inseri vult. Neque tolerabiliorem putat dativum Facius III. 3. 4 τὸ δὲ αὐτῶν ἐγκαταλειφθὲν τῇ γῇ Λακεδαιμονίων ἐγένοντο οἰκέται, ubi ἐν τῇ γῇ scribendum esse conicit. Siebelisius autem, quem S W. et Bekker secuti sunt, VIII. 26. 2. ὃς τὸν ὁπλίτην δρόμον ἐνίκησεν Ὀλυμπίᾳ, post ἐνίκησεν inseruit ἐν. Quamquam haec coniectura eo videtur confirmari, quod Pausanias nullo alio loco Ὀλυμπίᾳ pro ἐν Ὀλυμπίᾳ usurpat, tamen num ea vera sit ambigi potest, quia a Pausania multis locis ut VI. 1. 7. — 12. 8. — 13. 8. — 14. 2. — 15. 1. dativus solus Νεμέᾳ pro ἐν Νεμέα, quin etiam duobus locis adhibetur dativus Ἰσθμῷ: VI. 14. 2. Νεμέᾳ τε καὶ Ἰσθμῷ et VI. 15. 1. Πυθοῖ καὶ Νεμέᾳ καὶ Ἰσθμῷ.

---

[1]) Utrum hunc usum Pausanias ex Homero deprompserit an ex aliis poëtis, huius loci non est.

Sed dativum localem non magis quam genitivum localem a Pausaniae usu abiudicandum esse censeo, qui aliquot locis apud eum reperitur: I. 44. 2. *κατιοῦσι τῆς ὁδοῦ τῆς Εὐθείας καλουμένης Ἀπόλλωνος ἱερόν ἐστι.* VII. 20. 9. *τούτου δὲ τοῦ τεμένους ἐστὶ καὶ ἄλλα τοῖς Πατρεῦσιν ἱερά.* VIII. 30. 10. *στοὰν δὲ τῆς ἀγορᾶς Ἀριστάνδρειον — Ἀρίστανδρον οἰκοδομῆσαι λέγουσι.* VIII. 30. 7. *στοὰν δὲ ἥντινα καλοῦσι Μυρόπολιν ἔστι μὲν τῆς ἀγορᾶς.* VIII. 34. 5. *τούτῳ μὲν δὴ αἱ πηγαὶ γῆς εἰσὶ τῆς Αἰγύτιδος.* VIII. 48. 1. *τῆς ἀγορᾶς — Ἀφροδίτης ἐστὶν ἐν αὐτῇ ναός,* quo loco per epanalepsin genitivus localis verbis *ἐν αὐτῇ* repetitur.

Ut autem locis collatis in usu dativi non semel Pausaniae affectatio et captatio poetici cuiusdam coloris agnoscenda est, sic in structura adverbiorum *πλησίον* et *ἐγγύς,* et verborum *κελεύειν* et *βασιλεύειν*. Legimus enim I. 8. 6. *πλησίον δέ οἱ καὶ Ἀρσινόης — εἰκών* cfr. Hom. Od. VII. 171. Eurip. Iph. Aul. 1551. IV. 18. 6. *ἐγγύς οἱ.* VI. 24. 4. *τῇ στοᾷ — ἐγγὺς ἄλλη στοά.* IX. 30. 10. *ἐγγύτατα τῷ ποιμένι.* cfr. Hom. Il. XXII. 453. Eurip. Heracl. 37. — I. 37. 7. *ὁ δέ σφισι κελεύει;* IV. 27. 5. *ἐκέλευεν — τοῖς μάντεσι;* VII. 5. 2. *καθεύδοντι κελεύειν;* IX. 38. 5. *κελεύει σφίσι* cfr. Hom. Il. 50—151. Od. II. 6. etc. — I. 30. 3. *βασιλεῦσαι Αἰγυσιν.* III. 10. 5. *Λακεδαιμονίοις ἐβασίλευσεν.* VII. 25. 2. *τοῖς Ἀθηναίοις βασιλεύοντος.* VIII. 5. 10. *βασιλεύσαντος Λακεδαιμονίοις.* cfr. Hom. Il. II. 206.

Restat ut de nonnullis locis pauca verba faciam, in quibus genitivus e passivo aliquo participio pendens a viris doct. in suspicionem vocatus est, quia locis

similibus aut dativus aut *ὑπό* c. g. a Pausania usurpatur.

Sed locos, qui huc referendi sunt, accuratius mihi examinanti Pausanias extra hos fines non videtur egressus esse: adhibet primum participium passivum temporis praeteriti, quod vim substantivi habens cum genitivo iungit ut I. 2. 2. *τὰ γὰρ Θεμιστοκλέους μετὰ τὴν ἀναχώρησιν οἰκοδομηθέντα τὴν Μήδων — καθηρέθη,* ubi verba *τὰ οἰκοδομηθέντα* idem quod *τὰ οἰκοδομήματα* significantia cum genitivo *Θεμιστοκλέους* coniungi possunt; VI. 8. 2. *ὁπόσα ἄλλα ἀνδρῶν ἀλαζόνων ἐστὶν εἰρημένα,* ubi genitivus pendet e participio *εἰρημένα* pro *ἔπη* posito, ita ut coniectura Coraei *ὑπὸ ἀνδρῶν* supervacanea sit; VI. 7. 4. *ἐς ὃ τριήρων ἁλοὺς Ἀττικῶν ἀνήχθη ζῶν παρὰ Ἀθηναίους,* ubi e Kuhnii conjectura Siebelisius et S W. receperunt *ὑπὸ τριήρων.* Sed cum participium *ἁλούς* idem hoc loco valeat quod *αἰχμάλωτος,* quod substantivum Pausanias eodem loco et eodem sensu: *ὡς — ἄνδρα ἥκοντα ἐθεάσαντο ἐν σχήματι αἰχμαλώτου* usurpat, etiam hoc loco *τριήρων ἁλούς* a Pausania scriptum esse puto.

Deinde compluribus locis genitivus reperitur pendens ex articulo cum participio copulato ut II. 9. 5. *ἐς τὸ Ἡσιόδου σὺν θεῷ πεποιημένον;* ubi vero participia vi substantivorum carent, aut dativus aut *ὑπό* usurpatur ut VIII. 24. 1. *τοῖς δέ ἐστιν εἰρημένα θυγατέρα εἶναι* . . VIII. 31. 6. *παντοῖα δὲ ἀνδρώποις ἀνευρημένα ἐς λόγους ἐστίν.* VIII. 25. 12. *τὰς ὑπὸ Ὁμήρου κατειλεγμένας νήσους.* — 35. 2. *τὸ ὑπὸ Δαιδάλου ποιηθὲν τῷ Ἡρακλεῖ ξόανον.* Denique nullo loco Pausanias participia passiva

temporis praesentis ut vim substantivorum habentia cum genitivo coniungit, sed ὑπό c. g. usurpare solet ut: II. 35. 10. *κατὰ τὰ λεγόμενα ὑπὸ Ἑρμιονέων*. VI. 10. 2. *τὸ ὑπὸ τοῦ παιδὸς ποιούμενον*. VIII. 46. 4. *ὑπό τε Ἑλλήνων νομιζόμενα* cfr. VII. 23. 2. VIII. 3. 6. — 8. 9. etc. Cui legi non repugnat VI. 10. 6. *ὁ ἐρώμενος Φειδίου*, qui genitivus vulgo usurpatur.

Quibus finibus constitutis non ita difficile mihi videtur utrum locus VIII. 16. 3 sanus sit necne diiudicare. Locus enim sic legitur: *Ὁμήρῳ δέ (οὐ γὰρ εἶδεν ἀξιολογώτερον μνῆμα*[1]*) εἰκότως παρέξειν ἔμελλε θαῦμα, ἐπεὶ καὶ Ἡφαίστου τὸν χορὸν ἐπὶ τῇ Ἀχιλλέως ἀσπίδι εἰργασμένον εἰκάζει χορῷ Δαιδάλου ποιηθέντι, σοφώτερα οὐ θεασάμενος*. Cum in verbis *χορῷ Δαιδάλου ποιηθέντι* genitivus *Δ.* neque cum *χορῷ* possit coniungi, quia participium *ποιηθέντι* inepte dictum esset, neque ad participium ipsum referendus sit, quod substantivi pondere caret, locus est mendosus. Clavierius quidem *ὑπὸ Δαιδάλου* scribendum esse coniecit et Schubartus (cf. praef. p. XII.) obtulit *χόρῳ Δαιδάλου, ποιηθέντα σοφώτερα οὐ θ.*; sed hae coniecturae ideo non sufficiunt, quod Pausaniam sententiam tam generaliter dictam *χόρῳ Δαιδάλου* priori sententiae speciali *Ἡφαίστου τὸν χόρον ἐπὶ τῇ Ἀχιλλέως ἀσπίδι εἰργ.* opposuisse nullo pacto credere possum et participium *ποιηθέντι* sine dubio, cui chorus factus sit, indicat. Praeterea autem Pausanias illum locum respicit, qui apud Homerum Il. XVIII. 590 sq. legitur:

---

[1]) Sepulcrum Aepyti, cfr. Hom. Il. II. 604.

ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις,
τῷ ἴκελον οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσῷ εὐρείῃ
Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ.

et ipse rem iterat IX. 40. 3. ubi de Daedali artificiis scribit: *καὶ ὁ τῆς Ἀριάδνης χορός, οὗ καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι μνήμην ἐποιήσατο.* Quamobrem Pausaniam etiam hoc loco chorum Ariadnae factum esse dixisse et locum sic restituendum esse existimo: *εἰκάζει χορῷ Δαιδάλου ποιηθέντι τῇ Ἀριάδνῃ, σ. ο. θ.* De verborum autem collocatione cfr. IV. 17. 11 *ἔπη Ῥιάνου πεποιημένα ἐς τοὺς Λ.* et X. 38. 11. *ἔπεσιν ἀνδρὸς Μ. πεποιημένοις ἐς γ.*

Sed haec quidem hactenus. Ex iis autem quae diximus non paucas usus particulae *τέ* et dativi proprietates apud Pausaniam extare et earum cognitionem ad multos locos intellegendos aut emendandos necessariam esse satis appareat.

Index locorum tractatorum.

